



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia**

**Burghaber, Adam**

**Fribvrgi Brisgoiæ, 1665**

[Centvria III.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40942**

## SYNOPSIS

Centuriæ III. Selectorum Casuum  
Conscientiæ.

1. **A**GILVLPHVS Parochus parochianos suos iudicare potest excusatos à mortali peccato Sacri non auditi, si spatio vnus horæ ab Ecclesia distent.

2. **ALBANVS** vir nobilis licitè differt solutionem debitorum ad iacturam statûs sui cauendam.

3. **ALEXANDER** Rex acatholicus, licet ad exhibendam solùm obedientiam ciuilem præcipiat Catholicis, vt concionibus Prædicantium intersint, isti tamen obedire non possunt.

4. **ANATOLIVS** actiones quasdam mortaliter quidem (in alio tamen genere, quàm luxuriæ) malas exercens experitur ex his sæpius motum carnis, aut etiam pollutionem; quæ tamen actiones inde non contrahunt malitiam mortalem, si absit periculum consensûs formalis.

5. **ANNO** nullum vnquam seruauit ieiunium, nec ab anno 21. vsque ad 60. cum Scribam ageret: nec ab hoc inchoato vsque ad annum 90. cum adhuc robustus esset senex: idque probabiliter absque peccato semper fecit.

6. **ANTHERVS** à Confessario suo pœnitentiam accipit grauem quidem, attamen rationabilem: & eâ nondum peractâ alteri confitetur, qui pœnitentiam illam absque repetitione prioris confessionis rectè mutat, minuitque, si statum vitæ præteritæ ex præfenti confessione satis perspexerit.

7. **APELLES** pingendo negligens Sacrum, sufficienter in confessionali se explicat aiens: die festo neglexi Sacrum.

8. **ARTINGVS** moribundus famulo suo laico crimina

men olim commissum sub sigillo confessionis detegit; qui tamen inde ad hoc sigillum non tenetur.

9. **ARIALDVS** in censuram Papæ reseruatam incidens, urgente graui causâ, à Parocho suo absolui potest.

10. **ARIPERTVS** in flagranti deprehensus & statim de scelere accusatus negare hoc potest; esto inde accusator tanquam calumniator infametur.

11. **ARMOGASTES** ex prænobili familia cum in Minoribus constitutus non nisi 25. aureos ex beneficio suo percipiat, non tenetur ad horas canonicas discendas.

12. **ATTALVS** honoratiorem in Ecclesia locum pro sepultura emens non committit Simoniam.

13. **AVXIBIVS** diebus ieiunii pinguedinem ex lardo & adipe pro cibis familiæ suæ condiendis adhibens non peccat mortaliter, si absit scandalum &c.

14. **BECHTOLDVS** torquem aureum emens, cum postea intelligat hunc furto ablatum, licitè illum vendenti reddit, & pretium suum repetit; esto hunc nouerit statim se subducturum, nec furtum Domino restitutum.

15. **BERTRANDVS** vouet, nullum alium Ordinem religiosum se ingressurum præter Sancti Dominici; quod votum non valet.

16. **BONOSVS** Clericus dotem etiam ex bonis Beneficij sui denegare non potest Sorori, si ista aliunde illam habere non potest ad honestum matrimonium.

17. **BRICTVS** debitor ob spem lucri faciendi illicitè differt solutionem 300. aureorum; nisi per id lucrum alijs etiam creditoribus satisfacere possit, alias non satisfactorius.

18. **CALLISTVS** Episcopus non potest adhibere breuiorem Confirmationis formam, quàm communem hanc: Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.

19. **CASTELLVS** Studiosus commensalem suum

in rixa lethaliter læsit & aufugit; at postquam Barbatus gladio Castellii à sanguine adhuc rubenti vnguentum magneticum illeuit, læsus quidem in dissito loco sanatus est, verumtamen non à DEO, nec viribus naturæ, sed à malo spiritu.

20. CARINA diu abest domo suâ: & post longam inquisitionem è fonte in medijs plateis extracta rectè in loco sacro sepelitur.

21. CHRYSOSTOMVS ex pacto accipiens pro concione mercedem committit quidem simoniam, non autem iniustitiam.

22. CLARA Monialis tempore belli ex Monasterio suo exire coacta non tenetur ad horas canonicas dicendas, quamdiu ex tali causa extra Monasterium versatur.

23. CORDULA vxor marito suo debitum coniugale modo & situ venialiter peccaminoso petenti reddit absque peccato veniali.

24. CYRIACVS rebus à se narratis subijciens, eas ita esse veras, vt verum est, DEVM existere &c. non committit blasphemiam.

25. DIDACVS Collegij cuiusdam Societatis IESV Rector oblatam pecuniæ notabilem summam pro certis & stabilibus Sacris annuatim in templis Societatis & à Patribus huius dicendis non quidem potest accipere siue tanquam stipendium, siue tanquæ elemosynam: at bene alijs modis citra pactum & obligationem rigidam.

26. DIOMYSIVS euentus futuros à libero arbitrio dependentes ex astris etiam probabiliter absque superstitione prædicere non potest, nisi fortè tenuissimam solùm coniecturam facere intenderet.

27. DINANTVS diuortium iure facere potest ab vxore sua adultera, etiamsi eam priùs à se abegerit, de vitæ sustentatione non præuiderit, & ipsa inde in adulterium inciderit.

28. DOMETIVS in confessione mortalia quadam

omittit ex ignorantia in examinanda conscientia mortaliter culpabili, etsi non supina; unde valor confessionis adhuc subsistit.

29. DOMITIVS pluribus Missis, quas pluribus personis promisit, satisfacere non potest unicam Missam dicendo; ut ut alias valor sacrificij sit exseinitus.

30. DONATIVS Parochus secum ipse dispensat circa esum carnis, idque validè.

31. DROGO committens tortilegium, cuius reservationem in hac diœcesi planè ignorabat, absolvi potest à Parocho; esto iste peculiarem potestatem absolvendi à reservatis non habeat.

32. DYMENA illustris virgo pridie nuptiarum meminit voti sui post pubertatem editi, idque indicat Confessario suo, qui ex Ordine quodam Mendicantium, etsi jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, dispensare tamen cum ea non potest etiam in difficili accessu ad Ordinarium.

33. ELFRIDA mulier maritata pretium pro usu corporis sui ab amasio blanditijs & mendacijs extortum retinere potest.

34. ESAU in ceruum ei acutus huius dominium acquirit, si ita eum tetigit, ut moraliter illius manum effugere non posset: secus ad Ismaelem pertinet, qui postea eundem cepit: in dubio iuxta proportionem huius diuidatur.

35. EVDOXIAE vxoris votum de non mentiendò potest Maritus eius irritare, nullumque declarare.

36. EVENTIVS Campsor exercet recambium, quod aliqui vocant *recursa*, idque speculatiuè loquendo, licitè quidem, quamvis practicè non consulatur.

37. EVSTASIVS post ablutionem iam sumptam aduertens in parva particulas S. Hostiæ ab ipso consecratæ potest has sumere tam in altari adhuc extitens, quam in Sacristia sacris vestibus nondum extitens: probabiliter etiã Hostiæ ab alio Sacerdote consecratæ.

38. GALATION & EPISTEME Illustres personæ iam iam nuptias celebraturæ aduertunt inter se impedimentum dirimens; in quo casu Episcopus quidem dispensare ob necessitatem urgentem potuisset; quia tamen Româ res est delata, & inde rescriptum, dispensationem certò impetrandam intra triduum, hoc elapso nuptiæ rectè celebratæ sunt, si postea intelligatur, reipsâ illam dispensationem fuisse tunc concessam.

39. FVGATIVS Bohemus cum puella Itala Augustam veniens, & aliquantulum ibi moratus coram Parocho & Testibus validè contrahit matrimonium.

40. GEORGIUS Bauarus à ciue Passauiensi simul equum & dolium vini emit, vtrumque post mensem simul soluturus & auecturus; interea autem temporis ambobus nescio ex quo infortunio pereuntibus iactura equi ad emptorem, vini verò ad venditorem spectat.

41. GERTRVDIS sacramentaliter absolui potest, dum ait, dolere se valde de peccatis commissis, etiam si in specie nullū etiam veniale exprimere valeat.

42. GEORGIANVS ex errore vincibili putans diem proximè instantem Sancti Iosephi non esse festum, absque peccato deinde omittit Sacrum, nihil amplius de hoc audiendo cogitans.

43. GEORGIA famula curam habet penûs, ideòque tenetur ad restitutionem damni, quod ipsâ non impediente facit alius confamulus illuc irrepens.

44. GENTIANVS Aulicus in vestitu, victu, conuiujs, famulatio &c. moderatissimus est; & licet idcirco amarè vexetur ab alijs, & ad maiores sumptus instigetur, non potest tamen hos facere, si moraliter certus sit, debita inde se contracturum, quibus postea non sit soluendo.

45. GVSTAVVS immodicè vsui tabachi est deditus, & simul ac surgit, eum vsurpat; vnde tamen non violat ieiunium naturale, nec arcetur à sacra Communione.

46. HADRIANVS Iudex videns inter Caspium & Caspianum litigantes causam huius probabiliorem nihilominus pro illo malè fert sententiam ex eo, quod causam eiusdem saltè probabilem agnoscat.

47. HEMMINGVS Parochus 2. Nouembris, hoc est, die animarum culpabiliter omittit recitare officium defunctorum, ideòq; ex communi DD. peccat mortaliter, quamuis non desint docti RR. qui hoc negēt.

48. HERODIVS amarè vexatur ab Herodiano adulterium vxoris exprobanter; vnde ille concitatus adulterum inopinatò inuadit, occidit, & aufugit; in cuius defectum Herodianus tenetur ad restitutionem damni.

49. INGEN vir aliàs timorata conscientia subinde in grauem blasphemiam erumpit, quia tamen similia fieri à se ait absque aduertentia saltem certa, ideo non peccat grauiter.

50. IULITTA post actum conjugalem non potest semen statim effundere, etiamsi ex conceptione & partu prolis periculum grauium dolorum, imò & vitæ sit subitura.

51. LEOVIGILDVS Consiliarius Regius apud varios Doctores sententias inquirat, quæ pro fine suo arrideant; idq; per se non malè & illicitè.

52. LEVCIANVS ab vxore molestis precibus extorquet, vt in testamento ipsum præ fratibus consanguineis scribat hæredem, aliàs hoc non factura; valet nihilominus testamentum in vtroque foro.

53. LEVINIVS vir Catholicus retinet apud se, legitq; libros hæreticos de Religione tractantes, quasi apud ipsum non esset peruersionis periculum, qui idcirco peccat mortaliter, & incurrit censuram.

54. LIBERIVS in discursu insinuat, fornicationem ex natura sua & intrinsecè non esse malam; quod longè falsissimum est.

55. LEVTFRIDVS non peccat mortaliter aliam in vxorem ducendo, quàm Pater eius velit.

56. LOT Gen. 19. offerendo filias Sodomitis ad abusum peccauit mortaliter, si eius verba sumantur, ut sonant.

57. LVCERIVS cōductor non tenetur refarcire Lucio locatori damnum exustarum ædium, nisi iste probare possit, incendium accidisse ex culpa certi ac determinati famuli in officio suo, qui communiter pro negligenti est habitus, & tamen à Lucerio in domum fuit inductus ac toleratus.

58. LUPERIVS in templo pollutionem occultè faciendo non committit sacrilegium speciatim in confessione explicandum.

59. MANFREDVS Religiosus concessâ facultate à Prouinciali suo accipiendi aliquid citra medium florenum, non potest vi huius facultatis vno die sapius accipere dona, quæ singula quidem medium florenum non excedunt: at bene simul sumpta.

60. MARCELLA in morbo impetrans priuilegium, quo in domo sua Sacrum vnum intra 14. dies legi procurare valeat, potest intra hos 14. dies tria sibi Sacra procurare, si fortè integro post mense nullum amplius habere possit; cui Sacro, si assistant alij etiam Sæculares, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.

61. MARCVS miles Catholicus conscius secretorum exercitus catholici non potest hæc manifestare hosti, etiamsi ab hoc captus graua tormenta vel ipsam mortem sustinere debeat.

62. MENNAS in necessitate annuæ confessionis & defectu alterius Confessarij non tenetur cum magno incommodo Confessario loci manifestare peccatum graue quoad rationem genericam, sed potest illud omnino tacere: nec etiam ad contritionem huius perfectam obligatur.

63. MILVS Sacerdos saepe hærens, num psalmum, aut horam istam dixerit, non tenetur repetere, nisi probabiliter sciat, se omisisse.

64. NEMOTIVS cognoscens Mossiam vxoris suæ



consanguineam in 2. gradu non priuatur iure petendi debitum, si pœnam hanc ignorauit illi incestui impositam.

65. NICASIVS Aduocatus non potest pergere patrocinari causæ, quam certò agnoscit minùs probabilem, quàm partis aduersæ, cuius ipse est aduocatus.

66. NICETIVS pro 300. florenis in auro acceptis satisfacit reddendo totidem in quauis moneta argentea probata.

67. NIMMIA votum plurium precum perquam languidè peragit, quod idcirco rectè mutat Sacerdos in aliud leuius quidem, sed quod maiore promptitudine & pietate peragi ab ipsa possit.

68. ORDONIVS ut graue Reipubl. malum impediat, illicitè frequenti prouocatione inebriat alium futuræ huius ebrietatis laud ignarum.

69. OSWALDVS laicus & ditius in vltima necessitate & defectu Clerici nò malè fecit, ad Oswaldū extremè decumbentem deferendo SS. Eucharistiam, & hanc illi administrando.

70. PHILEMON histrio comœdias exhibet sat lasciuas; quas tamen permittendo solùm ad maius malum euitandum non peccat Magistratus: nec etiam qui intersunt ob solam curiositatem: nec denique iidem spectatores peccant ratione scandali.

71. POLYCRONIVS vir nobilis & diues legauit pijs locis omnes redditus annuos per decennium ex jurisdictionibus A. & B. cum obligatione Missæ perpetuæ, quæ jurisdictiones cum alteri domino post illius mortem vindicentur, hæres ex alijs hæreditatis bonis satisfacere tenetur.

72. Poro deprehendens in sylua indicia metalli mox à fundi domino latentis metalli ignaro emit eam communi quidem pretio, sed maximo & iusto lucro.

73. PRILIDIANVS Turca cupit baptismum, & nolenti

lenti baptizare, nisi certa pecunia pendatur, hanc ad redimendam vexationem haud illicitè porrigit.

74. *PRIMITIVS* Religiosus & Sacerdos rectè benèque facit, Sacrificia, quotquot potest, offerendo pro Infidelibus conuertendis.

75. *QVIRINA* vxor aperit viro suo, fidè se contraxisse, aut aliud impedimentum dirimens habuisse; cui tamen assertioni credere maritus non tenetur, nisi aliæ circumstantiæ moraliter certò eam persua-deant.

76. *SIGISMVNDVS* in subitum morbum incidit, nullumque amplius signum doloris dare valet; ad quem nihilominus vocatus Parochus malè ipsi dene-gat Sacramentum Extremæ Vnctionis.

77. *SYLVIVS* hemorusticanus absque peccato & restitutionis onere in syluis alienis non circumse-ptis moderatè ligna cedit & auerit.

78. *SIMPLICIVS* in graui necessitate & defectu congruæ sustentationis licitè retinet decimas, nihil-que de hoc dicit Parocho.

79. *SIRITION* aduertens in arce quadam multa fieri contra ius tam naturale, quam posituum ex ignorantia quadam inculpabili, monere tenetur in-colas, si fructum ex admonitione speret.

80. *SVENO* adolescens ab ingressu Religionis impeditur per Gerebertum; qui idcirco, si vi aut fraude eum abstraxit, peccauit mortaliter, & resti-tuere tenetur monasterio, quanti æstimabitur emo-lumentum temporale ex ipso prouenturum, con-sideratis tamen circumstantijs, per quas illud emo-lumentum poterat impedi.

81. *SIBERTVS* Sacerdos & Canonicus frequenter negligit Completorium; cuius tamen omissione vnum tantum committit peccatum, nec tenetur du-plicem horarum dicendarum titulum in confessione aperire.

82. *THEONAS* in conuentione mercedis pro ope-

ra & labore suo deceptum se ultra dimidium videns finito etiam anno remediū habet æquitatis, ad quam contractus est reducendus.

83. THEON Sacerdos in quadragesima Vesperas post meridiem recitando nec venialiter peccat siue in choro, siue extra hunc.

84. THOMAS aiens, probabile se iudicare, animam rationalem esse immortalem, incidit in hæresin, sic dubitando.

85. TORNANVS in foro interno ob voluntatem Domini præsumptam excusatur à restitutione rei ablatae saltem statim facienda: & inde etiam non peccauit mortaliter.

86. THEOPEMPTVS in concubinato viuit cum Theopempta fæmina laica, quæ criminis rea spectat ad Iudicem sæcularem.

87. TVRSON iniuste ad mortem damnatus haud illicitè Iudicem ad Dei Tribunal eadem secum horā vocauit.

88. TVRONIVS post confessionem pro Iubilæo peractam ante cætera opera impleta iterum in peccatum mortale lapsus non tenetur ad Iubilæum illud lucrandum iterum confiteri, sed sufficit, si conteratur.

89. VALENTIONI Subdiacono & Canonico post mortem fratris Amici ad conseruandam familiam suadent nuptias, spondentque dispensationem Papæ; & quia ante hanc cognitam & acceptatam Valentio nuptias celebrauit, matrimoniū fuit nullum, & ipse per se loquendo, peccauit mortaliter.

90. VINDONIVS vxori gemmam 100. imperialis æstimatam donans repetere eam, & elargitiones ex eadem ab vxore in amicos factas retrahere non potest.

91. VITELLIVS Religiosus & Sacerdos Senens ægrum ex vno in alterum latus suauiter vertendo nō incurrit irregularitatem, etiamsi Seni isti mors præter opinionem inde fuerit accelerata.

92. VIS.

92. VISSIA ancilla ex bonis Domini sui licitè facit eleemosynas, si adest consensus Domini siue expressus, siue tacitus, siue ratiõabiliter præsumptus.

93. VITERBIO puero vix septennario rationis tamen capaci ante Sacramentũ Eucharistiæ aliquando sumptum dari debet Extrema Vnctio.

94. VRSATIUS Sacerdos superfluum bonorum ex beneficio verè fit dominus: tenetur tamen disponere in vsum pauperum, aut alterius piæ causæ, idq; tum ex præcepto Ecclesiæ positiuo, tum ex iure naturæ, siue ipsâ natura virtutis Religionis; quod si eosdẽ superfluos redditus in diuites transferat, ab alienatio valida est, nec restitutioni obnoxia.

95. WENDELINVS ioco explodens sclopetum solo puluere nitrato onustum ita socium terrore percutit, vt humi procumbens post 14. dies negligentia curæ interueniente moriatur; ex quo tamen casuali homicidio nullam ille incurrit irregularitatem.

96. WIGBERTVS dubius subinde an aliquid comederit, vel non comederit: subinde an comederit ante vel post medium noctis potest in vtroque dubio celebrare.

97. WILIBALDVS Episcopus licitè in diocesi sua confirmat etiam alios ex vicinia accurrentes.

98. WINVALOCVS Capellanus ad S. Praxedem vñ foundationis quotidie in Sacello huius Sanctæ celebrare obligatus peccat mortaliter, si sæpius alibi celebret absq; iusta causa; non tamen tenetur ad compensationem: nec alibi celebrare, si in prædicto Sacello nequeat, nisi specialis conuentio interueniat.

99. ZAMDAS vrgendo Iouinum amicum suum haustu vsque ad ebrietatem, peccat mortaliter: non tamen Iouinus, si hanc ebrietatem absque periculo mortis vel grauis percussione euitare nequeat.

100. ZOTICVS dubius de impedimento matrimonij, & post diligentem veritatis indagacionẽ nihil reperiens bonâ fide contrahere, & debitum petere accedere potest.

CENTVRIA III.  
 S E L E C T O R V M  
 CASVVM CONSCIENTIÆ.

## CASVS I.



*A* Gilulphus Parochus ait, parochianos suos non amplius vnâ horâ ab Ecclesia distare, & tamen non paucos eorum negligere diebus festis Sacra, etiamsi via & tempestas percommoda sint. Scire igitur cupit, an peccent mortaliter, omitendo Sacrum ob solam viæ distantiam. Queritur. Quid ei dicendum?

Videntur parochiani peccare mortaliter, dum ob solam distantiam vnus horæ aut medijs miliaris germanici nõ eunt ad templum, missam non audiunt &c. Ita post alios Bonacina de Eucharist. D. 4. q. vlt. pun. vlt. n. 12. vbi ad distantiam, quæ excuset perinde quemlibet ab audiendo Sacro, requirit spatium sex vel septem miliarium Italicorum, quorum singula passus geographicos continent mille.

Resp. Cùm milliaria & leucæ pro varietate regionum variè accipiuntur, ad vitandam omnem confusionem, & communem omnibus locis doctrinam afferendam videri vniuersim sufficere per se ad excusandum pecca-

cum

tum omitti Sacri distantiam unius horæ à templo. Probatur. Tum quia non debent obligari homines, ut cū tanta difficultate Sacrum audiant, ut ex communi aliorum ait rectè Arriaga de Euch. D. 57. n. 30. cum præceptum istud sit merè humanum. Atqui ardua sanè foret obligatio, si distantia à templo maior, quàm unius horæ requireretur. Ergo &c. Tum quia omnes omnino DD. volunt, distantiam loci à templo, quæ excuset ab audiendo Sacro, iudicio prudentis viri relinquendam esse. Atqui hoc prudentum virorum iudicium esse videtur, ut sufficiat ad excusandū peccatum omitti Sacri distantia à templo unius horæ, teste Palao, qui Tr. 22. D. vnic. pun. ult. ex communi aliorum DD. sententia regulariter distantiam per vnicam leucam hispanicam aut minùs sufficere tradit, quod viæ spatium intra vnam horam moderato gradu haud ægrè confici potest.

Dixi per se, ut indicarem hanc loci distantiam à templo excusare à peccato omitti Sacri, si hæc omissio intra annū subinde tantū fiat, si enim sæpe aut semper contingeret, magnum cultus diuini neglectum, exiguam salutis curam, & affectatam scandali occasionem argueret, ideoque ad excusandum minimè amplius sufficeret, perindè ut è contrario minor etiam distantia quàm unius horæ excusare per accidens potest, si videlicet asperitas viæ, cœ-

li pluuia, aut simile quid accedat. *Atque ex his patet etiam ad opinionem in contrarium.*

II. *Albanus vir nobilis & equestris ordinis tanta contraxit debita, vt soluere illa minimè possit, nisi cum iactura statûs sui omni fere obsequio famulorum & equorum se priuet, conuiuia consueta omittat, consortium & visitationes sui similium vitet &c. quod magno dolore conquerens Patri Confessario scire ex ipso cupit conscientia sua hac in re obligationem. Queritur. Vtrum Albanus propter hanc iacturam statûs sui subeundam possit differre solutionem?*

Videtur non posse. Ita omnes ferè Authores, vt testatur Dicastillo L. 2. de iust. Tr. 2. D. 10. n. 64. quatenus tantùm concedunt, talem debitorem posse retinere ea præcisè, quæ necessaria sunt, ne cadat à statu iustè obtento, ita vt mendicare cogatur, aut manibus laborare; quamuis aliqui neque istud permittant, inter quos est Molin. D. 754. Mouentur. Tum quia superior status non est debitus magis vni, quàm alijs, spectatâ hominum conditione, sicut enim fortuna solet quosdam ad supremum statum eleuare, sic alios ad inferiorem detrudere. Tum quia in foro externo, quando devenitur ad Cessionem bonorum, debitor spoliatur iustè omnibus suis bonis, relictis illi solùm tenuibus vestibis, quibus se tegat, aut solùm quotidianis, non pretiosis iuxta statum suum,

Resp.

Resp. Albanum posse differre solutionem debitorum ad iacturam statûs sui cauendam. Ita Sylvest. *V. Restitutio* § 9. 1. 3. & 4. Vbi dicit, hanc sententiam esse veriore[m] & humaniorem. Navarr. *c. 17. n. 63.* Lessius *L. 2. de Iust. c. 16. n. 26.* Cardin. de Lugo *de Iust. D. 21. n. 8.* & alij, qui tamen omnes supponunt. 1. Albanum iustè obtinuisse statum illum. 2. eundem ad has angustias non fuisse redactum ludis, commestationibus, superfluis sumptibus &c. 3. Creditorem ex dilatione non accipere par damnum in re familiari & statu suo: secus enim non posset differre solutionem etiam cum prædicta iactura. His suppositis. Ratio responsionis est. Tum quia nimis durum & inhumanum videtur, cogi Albanum à Confessario cum tantâ difficultate & iactura statûs sui ad soluendum statim Creditoribus. Tum quia, quando debitor non potest soluere 100. aureos, nisi totidem vendat domum, quæ aliàs 300. aureis æstimatur, non potest Creditor ipsum urgere ad venditionem tam vili pretio faciendam, ut docent Bonacin. *de Restit. in genere. Q. vlt. pun. 1. n. 22.* & plures ab hoc relati, & planè naturalis æquitas suadet. Ergo aliquando ex detrimento, quod debitor subeat, licet differri potest solutio ad tempus, quo absque tanto incommodo fieri queat. Ergo etiam ex iacturâ statûs nobilis, quod longè maximum detri-

ex his  
n.  
ordinis  
nè pos-  
uio fa-  
onfuerit  
militum  
Patri  
sua hac  
albanus  
n possit  
Autho-  
r. 2. D.  
talem  
quæ ne-  
otento,  
s labo-  
mittant,  
r. Tum  
magis  
onditi-  
a ad su-  
inferio-  
xterno,  
orum,  
bonis,  
quibus  
retiosus  
Resp.



detrimentum censetur. Debet tamen Albanus sibi detrahere, quantum potest intra limites decentiæ statûs, vt bene Lessius *Loc. cit.*

*Ad 1. in contrarium dicimus, esto superior status ex se non vni magis, quàm alteri debeat; si tamen aliquis eum semel iustè obtinuit, iacturam huius, vtpote graue detrimentum, non facillè pati debet, sicut nec ex eo penitus deiici. Ad 2. Forum externum propter iustas causas v. g. ne lites nimium multiplicentur, fraudes committantur &c. non attendere ad has excusationes, relinquendo illarum veritatem Conscientijs Creditoris & debitoris.*

III. *Alexander Rex acatholicus videns in metropoli sua multos Romana fidei addictos mandat singulis & omnibus, vt diebus festis Conciones suorum Prædicantium frequentent, protestans interim, minime se facere id propter religionem in ipsis mutandam, sed obedientiam tantum Ciuilem ab illis exhibendam. Queritur. Vtrum Catholici parere huic mandato possint?*

Videtur illos posse. Nam communis est doctrina inter Theologos, accedere ad templa Hæreticorum, aut eorum conciones audire, nõ esse signum, quòd accedens eiusdem cum illis sit fidei, sicuti intrare scholam, vbi docetur Medicina, non est profiteri se Medicum, sed potest ille accessus habere diuersas causas. Ergo quemadmodum quilibet ob  
curio.

curiositatem v. g. sciendi, quid dicant Prædicantes, absque negatione fidei ad Conciones horum accedere potest, ita etiam omnes accedere possunt ob mandatum Regis.

Resp. Catholicos non posse parere Alexandro Regi, adire templa, & audire Prædicantium Conciones. Ita ex communi D. D. Cardin. de Lugo *Tom. de fide D. 14. n. 174.* aiens, ita respondisse Theologos Romæ de hoc Casu consultos. Ratio est, quia non obstante illâ protestatione talis accessus templi & auditio concionis hæreticæ ordinatur tum ad dandam concionatori maiorem auctoritatem, tum vt paulatim aliqui maximè rudiores pervertantur, tum in contemptum rei Catholicæ; & licet in aliquibus cessent eæ rationes, tamen omnes obligantur abesse, ne vnus alium suo Exemplo trahat, atque sic multi seducantur; imò si vel vnicus esset Catholicus in regno ac ciuitate Alexandri non tolerandus, nisi obediret mandato regio & communibus aliorum concionibus interesset, non posset parere. Nam licet aditus ad templum hæreticorum & auditio Prædicantis ex se possit esse actio indifferens, attamen in his circumstantijs non est indifferens, sed determinata, vt sit actio religiosa significans cultum sacrû erga locum illum & actiones, quæ ibi fiunt, qualis actio est intrinsecè mala, ideoque in nullo casu licita.

*Atque*

Atque ex his patet simul ad rationem in contrarium.

IV. *Anatolius certâ experienciâ habet, contingere sibi motum sensualitatis, & ipsam subinde pollutionem post aliquas actiones, quas committere solet, venialiter aut etiam mortaliter malas, in alio tamen genere, quàm luxuriæ, v. g. ad curiosum aspectum mulieris, incautam conuersationem, tactum, lectionem, nimium somnum, ebrietatem &c. & tamen ab his se non abstinet, ratus abesse periculum consensûs. Queritur. Vtrum actiones illæ contrahant malitiam mortalem ratione motuum inordinatorum ac pollutionis?*

Videtur contrahere. Ita Medina, Zumel, Armilla, Sotus, Valent. 2. 2. D. 9. q. 3. pun. 3. §. Itaque duo requiruntur. & alij apud Thom. Sanch. de Mat. L. 9. D. 45. à num. 11. Mouentur I. Qui ponit causam, ex qua videt per accidens secuturû homicidium, semper peccat mortaliter. Ergo etiam qui se exponit periculo sentiendi motus inordinatos &c. 2. Permittere motus libidinis est intrinsecè malum. Ergo nullo casu licitum. 3. Permittere illos motus, & negatiuè se habere, est peccatum mortale, quando causa eos permittendi nulla subest extra genus luxuriæ. Ergo etiam mortale est, facere aliquid, vnde prouideas eos secuturos. Confirmatur. Si pollutio ex actionibus illis sequens non est mortalis, neque mortalis erit, si sequatur ex opere illicito

in genere luxuriæ, sed leuis, cum etiam hic non intendatur.

Resp. Prædictas actiones non contrahere malitiam mortalem ratione motuum inordinatorum ac pollutionis, dummodo absit periculum consensûs formalis. Ita P. Sanch. *loc. cit. n. 16. Vasq. 1. 2. D. 115. c. 3. Suar. Tom. 3. in 3. par. q. 80. art. 7. Less. L. 4. de Virt. c. 3. n. 100. Filliuc. Tr. 30. c. 8 q. 6. n. 152. Bonac. de Marr. q. 4. p. 10 n. 9. Arriag. Tom 3. D. 46. n. 23. & plures alij. Ratio est, quia etsi eiusmodi actio vitari per se debeat ob propriam malitiam, non tamen apparet, quam ob rem sub culpâ mortali vitanda sit propter eum effectum, ad quem non est Suapte naturâ ordinata, sed merè per accidens propter maximâ humanæ naturæ fragilitatem, & peculiarem subiecti conditionem disponit. Confirm. quia actiones istæ malæ extra genus luxuriæ semper adiunctum habent commodum temporale, quod facit, vt motus consequentes, & concomitantes contingant præter intentionem. Ergo non videtur homo talem actionem exercens consentire interpretatiuè saltem perfectè in eiusmodi motus.*

*Ad 1. in contrarium* negamus conseq. quia propter summam naturæ imbecillitatem, & occasionum frequentiam, vt isti motus, & ipsa etiam pollutio sint peccata mortalia, requiritur perfectius voluntariū, quàm qualecun-

Dd

que

que in causâ remotâ. *Ad 2.* Negamus anteced. alioqui ne ex causa quidem valdè vtili & honestâ id licitum foret. *Ad 3.* negamus iterum conseq. quia illud ob reprimendi facilitatem importat consensum interpretativum perfectum: hoc ob summam cavendi difficultatè non item. *Ad Confirm.* negamus suppositum, dari scilicet peccatum leue in genere luxuriæ, quia minima etiam delectatio Venereata m vltro insurgens, quàm directè quaesita est mortalis, si delectatio consensu acceptetur, vti vnanimiter tenent omnes Patres Societatis nostræ ex decreto R. P. Vincentij Caraffæ Anno 1647. edito, quidquid doctrinæ huic omnem omnino turpitudinem excludenti, ac morum sanctitati, ac Religionis puritati, honorique quàm maximè consulenti reclamet Ioannes Caramuelin Reg. S. Benedicti D. 69. n. 1052. & seqq. cuius opinionem nonnulli etiam grauius censent apud Dian. P. 7. Tr. 11. Resol. 28. Vniuersim igitur loquendo, quandoquæ causa commotionis Venereæ ac pollutionis est suapte naturâ turpis tunc, per se loquendo, malitiam inde contrahit peccati mortalis peculiariter in Confessione explicandi.

V. Anno nonagenarius senex rogatus, quâ ratione ad atatem tam longam & adhuc vegetam peruenisset, ait, nunquam se vel famem vel ebrietatem expertum esse, sed quotidie bis semper moderatè

deratè comedisse, etiam postquam Officium Scribæ annum ætatis sexagesimum inchoans apud Principem deposuit, & solus vixit. *Queritur. Vtrum Anno non peccarit, nunquam ieiunando tam in officio Scribæ, quàm post hoc depositum annum sexagesimum inchoans?*

Videtur peccasse graviter utroque tempore, ieiunium omittendo. Ita Sylvest. Caiet. Gabriel & alij plerique Theologi. Tum quia officium Scribæ parùm est laboriosum; unde Sancius in *Select. D. 54. n. 16.* ait, vires magis, quàm laborem considerandas esse in Scribæ, si à ieiunio eximatur. Tum quia senex tantùm excusatur ratione detrimenti, si quod patitur, ut docent omnes. Atqui Anno, ut supponimus, non patiebatur detrimentum, hoc ipsò quod adhuc robustus fuerit circa annum sexagesimum. Ergo &c. Tum quia nec in iure, nec in communi hominum iudicio habetur determinatum tempus cessantis præcepti de ieiunio, ut argumentatur Bardi in *Bulla Cruciat. P. 2. Tr. 3. c. 2. sect. 4. n. 37.* & ex ipsa opinionum diuersitate patet. Tum quia Religiosi, si circa annũ 60. vegeti sint, adhuc tenentur ad ieiunia Ordinis sui. Ergo etiam Sæculares eiusdem ætatis non eximuntur à ieiunio Ecclesiæ, si tunc adhuc robusti sint.

Resp. 1. Annonem probabiliter non peccasse omittendo ieiuniũ in officio scribæ vique ad annum ætatis sexagesimum. Ita Diana P. 4.

Tr. 4. Tr. 4. Resol. 131. secutus Ludouicum De San Iuan. Tum quia officium scribendi apud Principem constantes vires requirit, & facile aliàs istiusmodi homines per ieiunium inidonei illi officio redduntur. Tum quia probabile est, quod docet Facundez *Præcepto 4. Ecclesia. l. 1. c. 8. n. 15. & 16.* ab Eugenio IV. Pontifice eximi à ieiunio omnes omnino opifices, etiam illis diebus, quibus non laborant. Ergo probabiliter etiam eximuntur, qui scribendo se alunt, cum hoc officium difficilius sit multis opificijs. Resp. 2. Annonem itidem probabiliter non peccasse omitendo ieiunium, cum abdicato officio Scribæ annum ætatis ingrederetur sexagesimum viribus adhuc robustus. Ita Thomas Sanchez *Tom 2. Consil. Mor. l. 5. c. 1. Dub. 4. n. 7.* & alij, quos citat, & sequitur Diana *P. 1. Tr. 9. Resol. 20.* Tum quia sicut pueri non tenentur ante 21. completum, licet robusti, ita neque senes mares post 60. inchoatum (eò quod iste annus inchoatus in favorabilibus habeatur pro completo, vt colligitur ex *L. quâ etate ff. de Testam.*) & fœmine post 50. vt volunt nonnulli apud Dian. *P. 9. Tr. 7. Resol. 73.* Nam sicut decuit ponere terminum inceptionis ad tollendos scrupulos, ita etiam ob eandem causam expedit ponere terminum desitionis.

Ad 1. in contrarium negamus officium scribæ non esse sufficienter laboriosum ad excusandum

ſandum à Ieiunio. Ad 2. negamus minorem; patiebatur enim Anno detrimentum hoc ipſo, quod robur in iſta ætate incipiat eſſe illuſium, & deſinat eſſe verum. Ad 3. dicimus, determinatum tempus deſinentis ieiunij rationabiliter deſumi ex lege tempus ieiunij incipientis determinante, cum pro utroq; eadem ſtet cauſa. Ad 4. negamus antecedens. Nam eodem modo diſcurrendum ſiue obligatio ad ieiunium proueniat ex præcepto, ſiue ex Religione, ſiue ex voto, modò hoc votum non ſit editum à fœmina poſt annum ætatis 50; & à viro poſt annum ſexageſimum, vt ex Sanchez *l. 4. Moral. c. 11.* bene aduertit Diana *p. 9. loc. cit.*

VI. *Anthero Viro nobili iniungitur pœnitentia à Confefſario admodum grauis, quam ille acceptat quidem, vt pote haud irrationabilem, non tamen exſoluit ob difficultatem illius; quod audiens alius Confefſarius, ſimulq; ſtatum vitæ præteritæ haud obſcurè ex præſenti Confefſione conijciens eam pœnitentiam mutat, minuitq; abſq; prioris Confefſionis repetitione. Queritur. Rectenè fecerit ſecundus Confefſarius?*

Videtur malè feciſſe. Ita nonnulli apud Dianam *p. 2. Tr. 15. Reſol. 53.* qui abſolutè putant, pœnitentiam rationabilem mutari non poſſe. Tum quia ſententia à ſupremo Iudice, qualis eſt abſolutio Sacramentalis nomine Chriſti à Sacerdote facta, eſt irreuocabilis. Tum quia hæc commutatio non poteſt fieri



extra Sacramentum, vt omnes concedunt: nec intra, quia pœnitentia in hoc posteriore Sacramento iniuncta non potest integrare Sacramentum illud prius. His Authoribus subscribunt eòsque Suarez *in 3. p. Tom 4. D. 38. sect. 10. n. 4.* Coninck, Layman, Bonac. Palao *Tr. 23. D. vnic. pun. 31. n. 13.* Lugo *de pœnit. D. 25. pun. 1.* & alij, vt putent, pœnitentiam mutari non posse ab alio Confessario absque repetitione prioris Confessionis, quia actus iudicialis fieri debet, cognitâ causâ, circa quam versatur.

Resp. 1. Ex iusta causa potuisse secundum Confessarium mutare & minuere Anthero pœnitentiam à priore Confessario impositam. Ita docent Valent. Suarez, Vasquez, Henriquez, Coninck. Layman & plerique alij apud Bonac. *D. 5. de pœnit. q. 5. sect. 3. pu. 3. n. 1.* Ratio fundamentalis est, quia ex benignitate Christi Sacramentum hoc ita videtur institutum, vt de peccatis iam iudicatis & absolutis iterum iudicari & absolui pœnitens possit, adeòq; noua pœnitentia imponi, sublata priore: vel potius dari possit electio pœnitenti, positâ alterâ pœnitentiâ, vt, quam malit, ex duabus eligere valeat, non mutando vel tollendo priorem pœnitentiam.

Vnde infertur 1. Quemcunque Confessarium etiam inferiorem mutare aut minuere posse pœnitentiam ab altero impositam Reginald.

ginald. in praxi Tom. 1. L. 7. n. 78. quia potestas iudicandi causam ab alio iudicatam cui, libet Confessario convenit, & in hoc omnes sunt æquales, vt proinde posterior sententiam prioris non reuocet, sed etiam causam iterum iudicet, & pœnitentem ab ea absoluat, relicta optione, vt, quam maluerit, satisfactionem eligat. *Inferitur 2.* Eundem posse mutare vel minuere pœnitentiam non tantum vindicatiuam, sed etiam præseruatiuam & medicinalem, modò hæc non sit simpliciter & vnicè necessaria, sed etiam utilis ad vitanda peccata. *Dicastillo de Sacram. Pœnit. D. 14. n. 144.* quia hoc probat ratio suprâ allata. *Inferitur 3.* Posse quoque Confessarium inferiorem mutare pœnitentiam pro peccatis reseruatim impositam. *Bonac. loc. cit. n. 6. Sà V. Satisfactio n. 5. alij.* Quia peccata semel ritè clauibus subiecta desinunt esse reseruata, vt proinde circa illa omnes Confessarij æqualem habeant potestatem; neque hinc finis reseruationis infringitur, siquidem peccata non reseruantur, vt pœnitens necessariò sequatur iudicium Superioris de pœnitentia iniuncta, quin possit adire alium: sed vt se sistat Superioris iudicio pro absolute impetranda, ab eoque monita salutis accipiat.

*Resp. 2.* Confessarium secundum posse mutare vel minuere pœnitentiam à primo impositam absque repetitione prioris Con-

fessionis. Ita sentiunt Navarr. *in Man. c. 26, n. 22.* Tolet. *L. 3. c. 11. n. 5.* Sa V. *Satisfactio n. 5.* Rodriguez. *in summa T. 1. c. 56. n. 8.* Beia *p. 1. c. 15.* & alij, quos citat & sequitur Diana *resol. 53 cit.* Ratio est. Tum quia secundus Confessarius iuxta præsentem dispositionem potest de tota simul causa pœnitentis iudicare, prout ipsi magis expedire censuerit. Tum quia ex altera confessione sufficienter arbitrari potest statum vitæ præteritæ. Tum quia communis praxis Confessoriorum hoc habet, quam Lugo *n. 109.* Layman *l. 5. Tr. 6. c. 15. in fin.* & alij improbare non audent, sed ex ea responsionem hanc practicè tutam esse affirmant.

Resp. 3. Secundum Confessarium in casu nostro rectè fecisse mutando minuendoque pœnitentiam Anthero à priore Confessario impositam. Sequitur hæc responsio ex duabus prioribus, eamque apertè tradit Facundez *de Præc. Eccles. Tr. 2. l. 2. c. 4.* Nam potuit hoc facere ex iusta causa. Ergo cùm hæc subesse ponatur vel ob solam difficultatem exequendi priorem, rectè fecit, quod in bonum animæ eam mutauerit ac minuerit.

*Ad 1. in contrarium* concedimus, sententiam à supremo Iudice datam reuocari nō posse; attamen, illâ persistente, potest alia similis ferri in eadem causa, quâ positâ optio pœnitenti relinquatur, eligendi ex illis duabus, quam

quam maluerit, *Ad 2.* Dicimus, ex communiore & probabiliore Sententia Authorum apud Palao *lo. cit. n. 91.* commutationem hanc fieri oportere in Sacramento Pœnitentiæ, sufficienterque subrogari posse pœnitentiam alteram in locum prioris, tametsi illius prioris Sacramenti pars integralis non sit; satis quippe est, quod sit pars integralis Sacramenti denuò suscepti; quamvis contraria etiam sententia improbabilitatis non arguenda videatur, quæ putat, commutationem hanc extrâ Sacramentum fieri posse, & docetur à non paucis Authoribus apud Palao *lo. cit. n. 9.* & Dian. *lo. cit. item P. 9. Tr. 9. Resol. 54. §.* Nota etiam *Leandrum.*

*Ad argumentum Suarezij & aliorum,* quod commutatio necessariò fieri debeat in Sacramento pœnitentiæ, satis patet ex dictis; nam sufficienter cognoscitur præteritæ vitæ status ex præsentis; Vnde etiam contrarij Authores aiunt, repetitionem prioris confessionis compendiosè tantùm faciendam, scilicet quia status pœnitentis ex hac posteriore satis conijci potest.

VII. *Apelles pictor Catholicus vt ceptã imaginem persiceret, toto tempore antemeridiano diei festi pinxit, nec Sacrum audiuit, cum nulla huius vrgeret necessitas. Postea in Confessionali huius se accusans dixit, se die festo neglexisse Sacrum. Queritur. Vtrum satis se explicauerit?*

*Dd §*

*Videtur.*

Videtur non satisfacere. Ita Valent. *Tom. 2. D. 6 q. 1. pun. 4.* Salas & alij. Nam præter omissionem explicanda etiam est commissio siue pictura, quæ peccaminosa est, tum quod sit causa neglecti Sacri, tum quod violet festum, utpote Mechanica.

Resp. Apellem sufficienter se in confessione explicare. Ita plerique Theologi, ut mox patebit. Ratio est, quia pictura seu pictio in hoc casu nullam habet malitiam specialiter explicandam in confessione. Nam prout est causa omissi Sacri, non constituit peccatum mortale commissionis, sed omissionis, ut docent Cardin. de Lugo *Tom. de Pœnit. D. 16. sect. II.* Vasquez, Becanus, & alij communiter; quia Apelles omittens Sacrum, ut possit pingere, unum tantum committit peccatum mortale, cum uniuersim causa in se non mala, sed talis tantum ab effectu secuto, unicum constituat peccatum cum eo, utpote à quo solo denominatur mala. Ergo pictura non est peccatum mortale, nisi omissionis. Prob. consequentia. Quia pictura nulli graui præcepto negatiuo opponitur, sed affirmatiuo audiendi Sacrum. Ergo pingere non potest esse peccatum mortale commissionis. Adhuc pingere non est opus Mechanicum, ac seruile, neque prohibitum die festo, per se loquendo, ut post Medinam, Lopez, Sà, & alios tradit Layman *L. 4. Tr. 7. c. 2. n. 3.* Tum quia  
pictio

pietio perinde ac scriptio in ducendis lineis ac figuris consistit. Tum quia non minus pictores in pingendo, quàm studiosi litterarum in studendo animi voluptate capiuntur, ac detinentur, quod signum est, attem pingendi liberalem esse. Cùm ergo pictura seu pietio in præsentia totam malitiam habeat ab omissione Sacri, satisfacit Apelles, si solâ hanc in confessione exponat, nec opus est dicere, pinxi, & ideo non audiui Sacrum

*Atque ex his patet ad rationes in contrarium allatas; tamen enim pictura materialiter sit actus commissionis: formaliter tamen non est malus, nisi propter omissionem actûs debiti, ut benenotat Becanus in primam secundæ Tr. 2. c. 3. q. 4. num. 6.*

VIII. *Artingus in articulo mortis famulo suo homini laico & prudenti sub sigillo confessionis crimen olim à se commissum detegens, cape, inquit, hos 100 florenos, qui sunt de bonis à me malè paratis, & quamprimum expirauero, restitue eos Artingo. At famulus iste à morte Domini sui cupit prius de hac restitutione conferre cum alijs viris bonis; cùm autè istud non possit aliter facere, quàm manifestando Domini sui defectum, timet violationem sigilli. Queritur. Vtrum famulus iste sigillo aliquo obligetur, aut saluo isto conferre cum viro aliquo bono possit de re sibi credita?*

Videtur obligari sigillo confessionis. Ita Adrianus in 4. quest. vnica. & Nauarrus in Enchiridio

*chiridio c. 8. n. 7.* & nonnulli. Ratio est. Tum quia famulus, tametsi nec ex confessione, nec per istam peccatum domini sui resciat, aliquo tamen modo participat vsum clavis scientiæ, quatenus ex intentione instar Sacerdotis assumitur ad conscientiam purgandam. Tum quia prædictus famulus, si ante confessionem à domino suo fuisset interrogatus circa modum restitutionis, idemque, quod modò, accepta pecuniâ facere iussus in ordine ad confessionem ritè instituendam, teneretur sigillo confessionis, vt cum Facundez & alijs docet Diana P. 5. Tr. II. Resol. 44. Ergo etiam iam tenetur, cum nõ absque respectu ad confessionem à Domino peccatum ei aperiatur, & restitutio mandetur. Tum quia aliàs redditur odiosum Sacramentum pœnitentiæ, si, quod sub sigillo confessionis alteri detegitur, non sub eodem reticeatur. Tum quia, esto famulus non obligaretur ad sigillum ratione confessionis, tamen vi promissionis ad idem sigillum teneretur, vt docet S. Thom. in 4. dist. 21. n. 3. quest. 2. ad 2.

Resp. Famulum non obligari ad reticendum peccatum Artingi Domini sui sub sigillo confessionis, sed ex lege secreti naturalis. Ita Suarez To. 4. in 3. part. Diss. 33. sect. 2. n. 1. Valentia, Vasquez, Tanner, Lugo, Dedicastillo de Pœnit. Tr. 8. D. 12. n. 31. & plerique alij. Ratio est. Quia vbi non est Sacramentalis

Talis confessio, quam pœnitens facit Sacerdoti in ordine saltem ad consequendam quoque sacramentalem absolutionem, ibi non est sigillum confessionis. Atqui in nostro casu nō est talis sacramentalis confessio. Ergo nec sigillum. Mai. ex eo probatur, quod iuxta communem TT. obligatio sigilli sit effectus confessionis sacramentalis; quod autem non est, non causat, & (vt loquuntur Iuristæ) quod iure non subsistit, nullum præstat effectum. Min. hinc constat, quōd Artingus sciat, famulum suum esse laicum, cui idcirco utique sacramentaliter confiteri non cupit; certè intentio confitendi ex nulla circumstantia casus cōijci potest. Quod si tamen ex hypothese putaret, laicū etiam vt talē absolueri posse, eiq; confiteri intenderet, adhuc laicum non teneri sigillo confessionis, volunt Doctores communiter, teste Dicastillo n. 30. quia cū erret ex ignorantia juris, non apprehendit veram absolutionem sacramentalem, qualem Christus instituit, sed laicam, quam Christus non instituit. His opponunt se Gaspar Hurta. D. 12. de pœn. diff. 3. & nonnulli. Mouentur, quia aliàs odiosa fieri posset confessio, si pœnitentes scirent, sua peccata licitè evulgari posse, si ipsi aliquid juris ignorarent, & fortè absolutionem à Christo non institutam apprehenderent; quotus enim quisque est pœnitentium, qui sciat omnia iura pertinentia ad abso-



absolutionem à Christo institutam? Verùm contra istos adhuc stat resolutionis nostræ ratio; propter defectum scil. confessionis sacramentalis saltem apprehensæ non adesse eiusdem effectum; vnde etiam rationabiliter confessio odiosa reddi nequit, cùm ex illo nihil detegatur.

*Ad 1. in contrarium negamus* famulum participare vllum vsum clavis scientiæ, cùm confessio nulla intercesserit. *Ad 2. negamus* ob causam recens indicatam, ex qua ipsa etiam vrgent Suarez, *sect. 2. cit. num 4.* Henriquez & alij. *Ad 3. negamus*, inde odium confessionis rationabiliter prouenire, cùm facillè cuiq; constet, nullam hinc extitisse confessionem sacramentalem. *Ad 4. itidem negamus*, vi saltem promissionis oriri obligationem sigilli confessionis, cùm absque ratione hoc asseratur, vt notant Theologi communiter.

IX. *Arialdus in casum cum graui censura Papæ reseruatam incidit, nec tamen ante paschalem communionem (cui absque infamia subducere se nequit) sive Pontificem sive Episcopum adire potest. Confert igitur se ad Parochum suum, & absolutionem ab eo flagitat. Queritur. Vtrum Parochus absolueret Arialdum possit?*

Videtur non posse? Ita P. Vasquez T. 3. in 3. Part. Q. 91. art. 3. dub. 8. n. 4. & dub. 9. n. 23. quem præter alios sequitur Diana F. 9. Tr. 7. Res. 10. Mouentur. Tum quia Tridentinum

sess.

*sess. 14. c. 7. de Refor.* ait, sacerdotem extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis. Tum quia *in decreto Clementis VIII.* idem expressè statuitur. Tum quia in casibus Episcopo reservatis nihil potest Sacerdos inferior, ut teste Suarez *Tom. 4. in 3. part. D. 30. sect. 3.* communiter sentiunt DD. Ergo etiam nihil potest in casibus Pontifici reservatis.

Resp. Parochum posse absoluerè Arialdum. Ita post Canum, Domin. Sotum, Ledesnam, Tanner *Tom. 4. Diss. 6 Q. 10 dub. 6. n. 112.* Wiggers de Sacram. *Q. 21. de Excom. dub. 4. n. 48.* Palao *Tr. 33. Diss. vnic. pun. 4. §. 4. n. 3.* & alij. Ratio est. Quia reservatio ad charitatis & animarum bonum introducta non debet in horum cedere malum; est quippe data hæc reservandi potestas in ædificationem, & non in destructionem *2 Cor. 13 v. 10.* Atqui cederet in graue charitatis & animarum malum, si in talibus circumstantijs non possent, Parochi à reservatis absoluerè Ergo credibile non est, eam potestatem à Pontifice denegatam fuisse Parochis.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, Tridentinum intelligendum esse *per se*: secus si à iure, vel ex priuilegio concedatur; quemadmodum Suarez *lo. cit. n. 8.* existimat, concessum esse nõ solum Episcopis, sed etiã inferiorib. Sacerdotibus, quoties Papa adire non potest, & vrget tempus communicandi. *extex inc. Nuper de sent. Ex-*  
*com.*

com. vbi habetur: à suo absoluator Episcopo, vel proprio Sacerdote. Ex quo Glossainfert. Ergo simplex sacerdos absoluere potest. Atque hinc patet etiam ad 2. siquidem decretum Clementis eodem modo, quo Tridentinū, est intelligendum. Ad 3. negamus, in feriolem graui aliquâ causâ urgente non posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis idque ob rationem in responsione adductam, vt etiam sentiunt citati DD. & plures alij, quos allegat Diana *loc. cit. Res. 11.* Addimus in tali casu Parochum esse quoque Iudicem, eiusque absolutionem esse directam, licet interpretatiuam & onerosam, obligatione comparendi penes pœnitentem remanente, aliàs enim nulla iurisdictione ob necessitatem inferiori sacerdoti communicaretur, vt bene Palao *loc. cit. contra nonnullos.*

X. Aripertus à Bruto deprehensus in flagranti scelere capitali, & statim ad Iudicem delatus aduertit accusatorem in probatione succumbere, heret tamen & scire cupit, an negare possit, se scelus admisisse: & si negaverit, atque inde infamia columnie accusatori aspergatur, an & quomodo amissam famam Bruto restituere debeat? Quæritur. Quid ipsi dicendum?

Videtur Aripertum crimen negare non posse. Ita Richard. 4. Dist. 15. art. 5. q. 3. Quia aliàs mentiretur, quod nunquam est licitum.

Resp. 1. Aripertum negare posse, crimen

se perpetrasse, quod tamē crimen reipsā perpetravit. Ita Sotus *lib. 4. de Iustit. D. 43. n. 4.* & alij. Tum quia per iniuriam de eo crimine accusatur; certum enim est apud omnes TT. eum peccare, qui contra iuris ordinem de crimine occulto quemlibet accusat, & publicē infamat, adeoque etiam iniuriam inferte. Tum quia non mentitur, etiamsi neget, se crimen commississe, addito etiam iuramento, subintelligens, ut fateri teneatur, ac proinde nec peccat. Nam responsio datur convenienter interroganti; Iudex autem eo casu quærere solum existimandus est, an videlicet commiserit crimen, ad quod confitendum sit obligatus. Quod si Iudex alio etiam casu intendat, quo ipsi permissum non est, adeoque quærere velit contra iuris ordinem, tali Iudici non legitimē interroganti responderi non debet, sed amphibologiā eludi potest, dicendo, non commisi crimen, quod scilicet tibi dicere teneat.

Resp. 2. Si Bruto accusatori inde infamia aspergatur, quod Aripertus accusatus crimen negauerit, non est iste obligatus ad aliquam illi famæ restitutionem faciendam. Ita ex communi Layman *L. 3. Tr. 6. c. 4. n. 4.* Nam quisque ius habet defendendi famā suā contra iniustū infamatorem; & si aliter non possit eam conseruare, quā infamatorem infamando, iusta erit infamatio, si fiat cum mo-  
Ee deramin

deramine inculpatæ defensionis. Brutus autem iniuste infamavit Aripertum peccatorem occultum ad Iudicem deferendo; & iste infamatus non potest aliter suam famam defendere, quàm negando, crimen se commisisse, cuius accusatur. Ergo si exinde infamia irrogetur accusatori, sibi ipsi imputet. Confirmatur ex regul. 55. ff. nullus videtur dolo facere, qui iure suo vititur. quâ regulâ vnicè nititur responsio data, eiusque sensum explanat. Dixi cum moderamine inculpatæ tutelæ; nam si alia ratione æquè commodâ possit Aripertus honorem suum defendere v. g. postulando, ut Brutus probet, quæ asserit, atque insuper excusando eundem de mendacio & calumnia, videlicet aliquo errore deceptum ad accusandum processisse, talem rationem ex lege charitatis inire debebit, ut bene ex Molina & aliis notat cit. Author. Atque sic etiam patet ad rationem oppositam.

XI. *Armogastes ex prænobili Familia in minoribus adhuc constitutus beneficium habet, ex quo ultra 25. aureos pro annuis redditibus non accipit; unde negligit horas canonicas, quasi ex illorum tenuitate ad has non teneretur. Queritur. An ex tenuitate talis beneficij liber sit ab onere horarum canonicarum?*

Videtur, quod non. Ita post Syluest. Nauar. Beiam, Barbosam, Bonac. & plures alios Palao Tr, 7. D. 2. pu. 1. S. 2. n. 9. Tum quia libe-

re acceptans beneficium eo ipso etiam onus illi annexum acceptat. Tum quia absolute jura loquuntur, beneficium dari propter officium. Tum quia beneficium habens 25, aureos pro annuis redditibus non est tenue.

Resp. Armogasten ex his beneficij redditibus nõ obligari ad horas can: dicendas, adeo que excusari tam à peccato, quàm onere restitutionis. Ita Sotus *L. 10. de just. q. 5. Art. 3.* Vega, Ledesma, Lessius *L. 2. de just. c. 34. Dubit. 31. n. 169.* & alij docti RR. Quamvis autem aliqui ex adductis Authoribus octo solum, decem, aut quindecim aureos assignent, à nobis tamen non dissentiunt; siquidem illorum tempore ad bonam honestamque Clericali talis sustentationem decem aut quindecim aurei plus facere potuere, quàm modò viginti quinque valeant, vt ipsemet fatetur Palao *lo. cit. n. 8.* Ratio igitur nostri responsi est. Quia qui *altari seruit, de altari viuere debet. 1. Cor. 4.* Ergo qui de altari ob tenuitatem reddituum viuere non potest, vt contingit in proposito, non tenetur seruire altari, dicendo preces canonicas. Confirmatur. Qui habet plura, ea que pingua & ampla beneficia, non nisi semel in die officium recitare tenetur, vt habet communis contra Binsfeldium apud Dian. *P. 9. Tr. 9. Resol. 10.* Cur quæso ad idem onus obligetur, qui tenues solum redditus habet?

*Ad 1. in contrarium dicimus, Beneficiarios*

Ec 2

accep-

acceptando beneficium obligare se ad horas can: sub hac semper tacitâ conditione, si fructus ex ea tantos percipiant, vt ex bona saltem parte honestè viuere pro statu suo queant, id quod in præsenti non contingit. *Ad 2.* Beneficium tenue reputari in iure pro non beneficio, vt colligitur *ex C. is cui. de preb. in 6.* *Ad 3.* Reditus 25. aureorū iudicio prudentis hoc tempore tenues reputari, cum teste Suarez *Tom. 2. de Relig. L. 4. C. 21. n. 2.* bonam seu tertiam partem Clericalis sustentationis non attingant; infra quam partem plerique Aucthores cū Maldero *de Virtut. Tr. 10. c. 2. dub 3.* omnes reditus agnoscunt, & vocant tenues. Obligationi autem quali quali pro hac tenui parte alijs modis & orationibus satisfieri potest, quàm officio diuino aliquoties saltem recitato, vt proinde ad hoc nulla sit obligatio, sicut benè aduertit Malderus contra Lessium & alios lo: cit.

XII. *Attilas vir nobilis & honoris supra modum cupidus in vltimo morbo paucis ante mortem diebus cūm visitaretur à Parocho suo, facit mentionem loci sepulture sue, petitque ab eo honoratiorem præ alijs, pro quo spondet 30. aureos statim soluendos, si hoc pacto concedere velit. Consentit Parochus, accipit pecuniam, & mortuum Attilam ex pacto sepelit intra templum, ad latus dextrum, prope summum altare. Quaritur. Vtrū hic non fuerit commissa Simonia?*

Videtur, commissam esse. Ita Suarez *de Relig.*

lig. Tom. 1. Tr. 3. L. 4. c. 14. n. 22. Malderus in  
2. 2. Tr. 9. c. 3. dub. 9. Filliuc. Tom. 3. Tr. 45. c.  
3. n. 26. & alij. Mouentur. Tum quia tota  
res pretij est loci Sanctitas, vel respectus ad  
maiolem Sanctitatem. Tum quia si ob ho-  
noré humanum emeretur ab aliquo dignitas  
Ecclesiastica, vtique committeretur Simonia.  
Ergo etiam in proposito; cum in vtroque ca-  
su id, quod venditur, sanctum sit, & honor  
ille annectatur spirituali.

Resp. In proposito casu nullam commif-  
sam esse Simoniam. Ita Emanuel Sà V. *Simo-*  
*nia* n. 2. Becan. *de Simon.* q. 4. n. 1. Bonac. *Tom.*  
*1. D. 1. de Sim.* Q. 4. pun. 6. n. 1. Barbof. *Part. 3.*  
*de offic. & potest Parochi* c. 26. n. 16. Vbi plures  
alios refert. Ratio est. Tum quia locus est  
honoratior ob rationem & respectum merè  
temporalem v. g. quod ad dextrum, quod in  
loco conspicuo, quod iuxta illustres &c. Er-  
go tunc non emitur res sacra, sed honor qui-  
dam humanus, qui in ciuili aliqua æstimati-  
one & excellentia positus est. Tum quia  
emens locum honoratiorem, in quo sedeat,  
non committit Simoniam, vt docet ipse Sua-  
reze. 28. n. 23. Ergo nec emens locum ho-  
noratiorem, in quo sepultus iaceat, vt bene  
arguit Bonac. n. 4. Tum quia talis locus non  
est necessarius ad sepeliendum. Ergo nec se-  
pultura, nec sacrum venditur.

*Ad 1. In contrarium patet ex dictis, illam*

*Ee 3*

*sci-*



scilicet dignitatem non sumi à respectu spiri-  
tuali v. g. quod intra templum, prope altare  
&c. sed ab aliqua humana & civili æstimati-  
one; imò Palao Tr. 17. D. 3. de Simon. p. 8 in  
fin. putat, etiam priore respectu accipi posse  
pretium, non quidem rigorosum, & datum in  
commutationem illius excessus & dignitatis,  
sed latè acceptum, & datum in sustentatione  
ministorum, sicuti qui pro Missa maiori  
plus exigeret. Ad 2. Negamus consequen-  
tiam; nam in Beneficijs Ecclesiasticis omnis  
vera pactio specialiter prohibita est C. vlt. de  
pactis, quod non in sepultura & alijs contin-  
git.

XIII. *Auxibius Lanio catholicus frequenter  
diebus ieiunij tam extra, quam intra Quadragesi-  
mam pro cibis familiae suae condiendis adhibet pin-  
guedinem ex lardo, & adipe, cum tamen opulen-  
tus sit; quod aduertentes famuli deferunt ad Con-  
fessarium, & scire cupiunt, num ex cibis talibus  
comedere possint. Queritur 1. Vtrum Auxibius  
peccet mortaliter adhibendo talem pinguedinem?  
2. Quid Confessarius dicat, famulis faciendum  
esse?*

Videtur Auxibius peccare mortaliter. Ita  
præter alios Layman L. 4. Tr. 8. c. 1. n. 5. Tum  
quia eodem præcepto prohibetur hæc pingue-  
do diebus ieiunij, quo caro. Tum quia con-  
suetudo est recepta, & communiter homines  
reputant mortale, adhibere pinguedinem ex  
lardo

lardo & adipe diebus ieiunij; unde & famulis ab hisce cibis abstinendum, cum æquè hos, ac ipsum Dominum obliget commune Ecclesiæ præceptum.

Resp. 1. Auxibium, si absit scandalum graue, erronea conscientia &c. probabiliter non peccare mortaliter, adhibendo talem pinguedinem diebus ieiunij. Ita Glossa in C. *Presbyter*, Hostiensis, Abbas, & alij, quos nouissimè sequi videtur Facundez præcepto 4. *Ecclesia. l. 1. c. 2. n. 20.* Ratio est, quia pinguedo, cum iuxta Aristotelem non sit caro, etiam non computatur inter carnes, sed inter oua & lacticia, quibus vtrisque in loco, vbi habitat Auxibius, vesci licet diebus ieiuniorum; quid sit de nonnullis alijs locis, in quibus lacticia, non tamen oua permissa sunt.

Resp. 2. Confessarium posse permittere famulis esum ciborum tali pinguedine conditorum, & omnem eis scrupulum eximere debere, quod etiam in sua sententia fieri vult Layman *lo. cit.* addens etiam cum Dominis & quidem ditioribus dissimulandum, si non possint commodè abduci; quæ certè parùm cohærenter docet cum adductis fundamentis suæ doctrinæ.

*Ad 1. in contrarium* negamus, eodem præcepto prohiberi carnem & pinguedinem, cum hæc, vt diximus, inter oua & lacticia computetur, à quibus abstinendi minorem esse

obligationem, vel hinc patet, quod habens dispensationem ad comedendas carnes, non teneatur ieiunare: sicut tamen habens dispensationem ad comedenda oua & lacticia adhuc ad ieiunium tenetur. *Ad 2.* dicimus, hanc consuetudinem non introductam esse absolute & liberè animo se obligandi, sed initio ex deuotione mera: postea verò ex errore creditum, adesse obligationem; quod autem ex errore vim legis habere putatur, eandem non habet, etsi omnes illud obseruent, idque defectu voluntarij, quod per errorem interuenientem tollitur, vt optimè Facundez lococit. num. 14.

XIV. *Bechtoldus emit torque aureū à Rechario, quem iste ait se hereditate à Maioribus suis accepisse, & graui necessitati, quā iam premitur, levanda hætenus reservasse. Sed post aliquod tempus deceptū se cōperit, & torque illū noto euidā Domino furtim sublatum esse agnoscit, cui tamen restituere nequit absque probabili periculo pretij, quod expendat, perdendi. Adit ergo Recharium, & resciso contractu, redditoque torque pretium suum repetit, recipitq; haud ignarus, hunc statim se subducturum, nec furtum domino restitutum. Queritur. Vtrum Bechtoldus facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuisse, sed torque Domino suo, non furi reddere debuisse. Ita Caietan. Covarr. Medina, Molina *de Iustit. Tom 3. Disp. 722.* & alij apud Dianam. P. 1. Tr. S. Ref.

69. Mouentur. 1. Quia qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur iniquæ ipsius detentioni. 2. Quia melior status, quem res acquirit, pertinet ad dominum, à quo statu citra iniuriã extrahi, & in deteriorem (qualis in proposito est apud Recharium furem) reponi nequit. 3. Quia dominus, si cõperit rem suam esse apud alium, potest iure hanc repetere ab illo. Ergo ille tenetur ad eam domino non furi restituendam. 4. Quia in foro externo obligatur emptor rem domino, non furi restituere. Ergo idem tenetur facere in foro interno. 5. Quia si Bechtoldus sciuisset, torquem esse furtiuum, adeoque malâ fide emisset, teneretur eum statim Domino restituere, non furi. Ergo ad hoc ipsum obligatur, etsi bonâ fide processerit, cū saltem iam sciat, illum esse alienum.

Resp. Probabilius esse, Bechtoldum, vt suæ consulere indemnitati, licitè contractum rescindere, & torquem aureum Rechario furi reddere potuisse. Ita Vasquez. *opusc. de Restitut. c. 9. §. 2. d. 3. n. 13.* Less. *L. 2. de Iust. c. 14. dubit. 3.* Dicastillo *L. 2. de Iust. Tr. D. 5. n. 95.* Cardin. de Lugo *de Iust. D. 17. n. 29.* & plures apud hos relati. Prob. 1. Quia Bechtoldus nullã iniuriam fecit domino, hunc torquem emendo, & apud se detinendo, cum bonâ fide emerit. Ergo non potest dominus meritò agrè ferre tanquam iniuriã affectus, si illum reponat in eum statum, in quo ante erat, ne

Ee §                      pretium

pretium amittat suum; siquidem nemo ex  
 charitate aut iustitia tenetur alieno commo-  
 do magis, quam suo prospicere. Prob. 2.  
 Quia hic contractus fuit omnino involunta-  
 rius, utpote ex errore factus. Ergo potest  
 Bechtoldus eum rescindere. Ergo & torquem  
 acceptum restituere, & pretium recuperare.  
 Prob. 3. Si quis rem inuentam in plateis assu-  
 meret, & postea resciret, eam sibi fore noxi-  
 am, posset reponere eodem loco, ut suæ con-  
 suleret indemnitati, nec teneretur illam suo  
 damno seruare, ut domino suo restitueretur.  
 Ergo etiam possessor bonæ fidei ad recuperan-  
 dum pretium poterit rem furtiuam relinque-  
 re furi; est enim utrobique paritas, ut bene  
 Lessius, Dicastillo, alij.

*Ad 1. in contrarium* negamus, Bechtoldum  
 cooperari iniquæ detentioni, quia utitur tan-  
 tum iure suo ad se seruandum indemnem,  
 relinquens reliquum conscientie Recharij  
 furis. *Ad 2.* Quamuis Bechtoldus non possit  
 torquem aureum alienum positiuè eijcere è  
 statu meliore, quem apud se habet; potest  
 tamen permissiuè se habere, non conseruan-  
 do positiuè bonum illius statum cum tanto  
 suo damno, ut bene Lugo *num. 30.* *Ad 3.* con-  
 cesso antecedente, negamus consequentiam,  
 quia rem alienam bonâ fide possidens non te-  
 netur eam cum tanto dispendio reducere ad  
 dominum; licet aliàs iste eam, vbicunque  
 fuerit,

fuerit, sibi vindicare possit: ille autem de nouo distrahere eandem nequeat. *Ad 4.* iterum negamus consequentiam. Nam ad multa compelli potest ciuis ob bonū & pacem communem, ad quæ ante talem compulsionem non tenetur, vt rectè Dicastillo *n. 109.* Expedi autem Reipublicæ, vt Iudices rem emptam intelligentes furtiuam dominum huius non per ambages ducant, sed compendiariâ vñ huic illam statim adiudicent: emptori interim pro recuperando pretio actionem in furem relinquunt. *Ad 5.* Antecedens negare Syluestrum, Halensem, & præter alios Lugorem *n. 37.* Sed esto, vt concedunt illud Vasq. Turrian. Lessius, alij apud Dicastillo *loco cit. n. 113.* Negamus consequentiam, quia tunc teneretur ratione iniustæ acceptionis, hoc ipso quod emisset malâ fide rem alienam animo retinendi velut suam, inuito domino. Ergo quod postmodum non possit consulere propriæ indemnitati, sicuti potuisset, si bonâ fide processisset, sibi suæque malitiæ imputet.

XV. *Bertrandus mirè afficitur erga S. Thomam Aquinatem ex insignibus huius S. Doctoris libris, quos assiduè voluit; & quia plures eximiâ pietate & doctrinâ viros in eodem sacro Ordine S. Dominici aduertit, ipse quoque desiderio huius inardescit, adeo vt voto se obstringat, nullum alium Religiosum Ordinem, præterquam S. Dominici, se ingressurum. Quæritur, Vtrum hoc votum valeat?*  
Videtur

Videtur valere. Ita post Paludanum, D.  
Antoninum, Syluestrum & alios Thomas  
Sanchez in *Decal. l. 4. c. 8. n. 47.* Tum quia  
istud votum est conditionatum obligans ad  
rem perfectam, ingressum scilicet Religio-  
nis. Tum quia consultius est cuilibet, obliga-  
ri, quàm omnino liberari. Sed ex voto illo  
obligatur vouens saltem ex conditione. Er-  
go &c. Tum quia Scholastici Societatis Iesu,  
dum præter simplicia vota promittunt, se So-  
cietatem ingressuros, obligant se, non alium  
se nisi hunc Ordinem recepturos. Tum quia  
valida sunt hæc vota ex omnium sententia:  
*Promitto me horas Canonicas non nisi deuotè reci-  
taturum: non nisi pio affectu eleemosynam datu-  
rum: non nisi pauperem puellam in vxorem du-  
cturum &c.* Ergo etiam ista valebunt: *Pro-  
mitto me non nisi flexis genibus horas Canonicas  
dicturum: non nisi huic mendicabulo eleemosynam  
daturum: non nisi hunc sacrum Ordinem ingres-  
surum &c.*

Rdsp. Votum prædictum Bertrandi non  
valere. Ita P. Ferdinandus Palao Tr. 15. D. I.  
pun. 8. §. 5. n. 16. Probatur hæc fundamentali  
ratione. Votum de materia inseparabiliter  
apta simul & inepta non est validum. Atqui  
votum Bertrandi est tale. Ergo &c. Prob:  
Min. Materia apta est ingressus in sacram  
Religionem S. Dominici: inepta est non-in-  
gressus aliarum sacrarum Familiarum, qua-  
rum

rum vtraque inseparabiliter in voto includitur. Ergo &c. Prob. antec. Votum Bertrandi habet hunc sensum: *si aliquam ingrediar Religionem, promitto, me hanc S. Dominici ingressurum*, iuxta quem tacitè & indirectè promittit materiam voto ineptam, nimirum non-ingressum aliarum Religionum, & quidem inseparabiliter, cùm absque violatione voti aliam Religionem ingredi nequeat. Confirmatur responsio. Votum de re inutili vouendi non valet. Sed hoc Bertrandi est tale. Ergo &c. Prob. Min. Votum retrahens ab opere absolutè bono, & solùm obligans ad opus bonum ex conditione pendente à voluntate vouentis non est vtile vouenti. Atquì votum Bertrandi est tale. Ergo &c.

*Ad 1. in contrarium* negamus, votum Bertrandi obligare solùm ad rem perfectam, sed inseparabiliter ad rem perfectam siue aptam simul, & ineptam. *Ad 2. concedimus*, cæteris paribus; si nimirum obligatio fiat in re absolutè apta, quod in præsentì non est. *Ad 3. dicimus*, Scholasticos Societatis IESV non promittere, se non ingressuros aliù Ordinem præter Societatem, cùm in hac iam sint per tria vota substantialia Religionis, sed se accepturos gradum in Societate, quemcunque Superiores determinauerint. Ad hæc per illum ingressum in Societatem (sicut etiam, quando-cunque aliquis absolutè promittit, se ingres-

surum



surum certam aliquam Religionem ) non includitur in voto formaliter non ingressus in alias Religiones, sed tantum concomitanter; quod secus se habet in voto Bertrandi, ubi ille non-ingressus formaliter in voto involuitur.

Ad 4. Negamus consequentiam. Ratio disparitatis est, quia vota in antecedente allata excludunt materiam voto ineptam: Vota autem in consequente posita excludunt materiam voto aptam; unde magna intercedit disparitas, ut ipse advertit Sanchez num. 55.

XVI. Bonofus Beneficiatus Sororem habet ex eodem patre: alia autem ex matre, cui ancillanti & iam nubili occasio se offert honesti matrimonij, nec aliud eam ab hoc moratur, quam defectus dotis, quam tamen frater dare non vult, ipsa autem habere aliunde non potest. Queritur. Vtrum Bonofus recte denegat dotem sorori?

Videtur non male denegare. Tum quia Filius non tenetur dotare matrem, etiam si hec inops sit, ille autem dives, ut cum alijs docet Rebellus P. 2. L. 5. q. 4. n. 41. Ergo nec sororem. Tum quia nullibi hac obligatio prescripta est; imò ab ea videtur eximi. L. cum plures. §. cum tutor. ff. de administr. tutor. ut notat cum alijs cit. Authorn. II. Tum quia Bonofus non habet alia bona, quam ex Beneficijs collecta, quæ non tenetur in consanguineos expendere.

Resp Bonofum obligari dotem constituere

re forori, ideoque malè hanc illi denegare: Probat. Tum ex *L. cum plures cit.* Item *L. 2. § sed non ullos,* & *Glossa V. præstiterit ff. de Tutel. & rationibus distrabent.* atque alijs, in quibus habetur, fratrem obligatum esse titulo sanguinis alimenta præstare forori. Ergo & dotem, cum regulariter ex illis ad hanc efficax argumentum desumatur, ut cum pluribus Iuristis notat Palao *Tr. 32. D. 9. p. 5. §. 3. n. 1.* Tum quia communis Doctorum sententia defendit, hanc obligationem incumbere fratri respectu fororis, ut videre est apud Authorem recens citatum & Layman *L. 3. Tr. 4. c. 13. n. 5.* Tum quia in filium descendit officium paternum respectu filiarum. Ergo cum patris sit, dotare filiam, ad idem obligabitur frater; esto aliàs non sit hæres patris, modò aliunde habeat, ex quo dotare possit. Tum quia opus hoc est pietatis magnæ, obligationis naturalis, & iuri maximè conforme. Ergo non excusabitur ab eo præstando Bonosus, quòd sit Clericus, nec alia bona nisi ex beneficio collecta habeat, ut præter alios rectè notat Navarr. *de Redditib. q. 2. monito 26.*

*Ad 1. In Contrarium* negamus Consequenti-  
tiam; nam illud novum matris connubium  
in iniuriam quodammodo ipsius filij cedit, ut  
loquitur *Rebell. Lo. Cit.* secus istud fororis  
matrimonium. *Ad 2.* Patet ex dictis; nam et-  
si leges de solis alimentis loqui videntur, ta-  
men

men sunt ex communi D. D. consensu de dote quoque præstanda intelligendæ; imò Palao *loc. cit.* ait, solam Authorum communem sententiam sufficere ad hanc fratri obligationem imponendam. *Ad 3.* Dicimus, sicut Bonosustenetur ex his bonis sororem alere, ita & dotare, si aliunde ista habere soror nequeat, ut rectè Covarr. *in Cap. peruenit. de arbitr. n. 1.* rationem addens, quod causa dotis non minùs sit favorabilis, quàm alimentorum.

XVII. *Briectius presentes habet trecentos aureos, quos ex debito statim numerare debet Creditori suo; advertens autem insperatam occasionem magni lucri per pecuniam illam faciendi, expendit eam, atq; interea solutionem differt, haud ignarus, nullum aut perexiguam damnum ex ista dilatione creditori enasci. Queritur. Vtrum facere hoc licitè possit?*

Videtur licitè posse. Nam potestas lucrandi, & spes lucri futuri etiam alienæ pecuniæ interuentu est pretio æstimabilis, & aliquid ultra debitum, computandumque inter bona ipsius debitoris. Ergo ne de his gravem iacturam patiat, potest solutionem differre.

Resp. 1. Si Briectius plures habeat Creditores, & ex dilatione solutionis vni faciendæ speret lucrum, quo omnibus satisfacere possit, aliàs non satisfacturus, non malè facit differendo solutionem. Ita Lessius *L. 2. de iust. c. 16. n. 24.* Layman. *L. 2. Tr. 2. c. 12. n. 2. & alij.*

alij. Ratio sumitur ex lege charitatis, quæ obligat alienam iacturam impedire, cum fieri absque graui incommodo proprio potest. Ergo creditor ille priuilegiatus tenetur in dilationem consentire, ne alij debitis suis priuentur. Resp 2. Si Brictius vel vnum hunc habeat creditorem, vel alijs aliunde satisfacere possit, malè facit differendo solutionem ob lucrum, quod interim obtinere potest. Ita Caiet. V. *Restitut. c. 6.* Martin. Nauar. *c. 17. n. 59.* Petrus Nauarr. *l. 4. c. 4. n. 43.* Lessius, Layman *lo. cit.* & communiter alij. Ratio est, quia creditor non tenetur consentire in hanc debiti retentionem, sed meritò fert eam inuitus; siquidem ex restitutione Brictius non cogitur aliquod damnum pati in proprijs, sed in alienis eorum interuentu lucrandis. Vnde

*Ad rationem in oppositum* distinguimus; potestas & spes lucri futuri est pretio æstimabilis, & aliquid ultra debitum, computandumque inter bona ipsius debitoris, si fundetur in bonis proprijs, & non debitis, concedimus; si in alienis, vt sit in proposito, negamus; nam quando spes lucri alienis nititur, sicut nõ potest alienum detinere, ita nec eam lucri spem; quippe iniustè eam spem retinet, qui retinet eam, cui illa annectitur.

XVIII. *Callistus Episcopus iam Septuagenarius Confirmationis Sacramentum collaturus videt innumerabilem turbam confirmandorum conflu-*

xisse. & quia communem formam novit esse pauld longiorem, habere velle aliquam breuiorem, ve sic & tota administratio Sacramenti citius expediretur, & ipse minùs fatigaretur. Suggestitur ipsi à quodam Theologo hæc: signo te chrismate salutis in nomine Patris &c. aut ista: Confirmo te in nomine Patris &c. Queritur. An vnã ex istis Callistus adhibere possit?

Videtur posse. Ita nonnulli apud Coninck de Sacram. Q. 72. art 4. n. 67. Tum quia opus non est, in forma nominari materiam Sacramenti, vt patet in Baptismo, vbi non nominatur aqua. Tum quia particula ( *Chrismate salutis* ) satis intelligitur in verbo confirmo, sicuti etiam particula ( *signo crucis* ) in verbo signo. Tum quia Card. Bellar. L. de Confirmat. c. 10. ex quodam antiquissimo Rituali Rom. refert hanc formam suprã allatam: Confirmo te in Nomine Patris &c.

Resp. Callistum adhibere non posse breuiorem Confirmationis formam, quàm istam communem: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris & filij & spiritus S.* quam sub mortali seruare tenetur, ne Sacramentum dubium reddatur. Ita ex receptissima Theologorum doctrina Dicastillo de Sacram. Tr. 3. D. Vnic. n. 76. dicens, communem illam formam esse essentialem quoad omnes suas partes, quod Palao Tr. 20. D. Vnic. de Confirm. pun. 5. n. 3. ait, docere om-

nes Catholicos Doctores. Tum quia Concilium Florentinum *in decreto fidei sub. Eugen. IV.* exactè formam huius Sacramenti describens omnia illa verba statuit. Ergo credit esse essentialia; alioqui formæ partes non essent. Tum quia idem ex continuo usu & traditione Ecclesiæ haud obscurè habetur. Tum quia verbum confirmo ex se non satis significat materiam huius Sacramenti; multò minùs æquipollet verbum signo, cui idcirco propter generalitatem suam necessariò additur particula *Signo Crucis*. Tum quia sola illa forma communis, prout involuit omnes particulas, significat necessaria in hoc Sacramento, quæ per formam significari debent, nimirum 1. Causam Principalem efficientem plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas. 2. Finem, seu effectum gratiæ salutaris ad pugnam, qui indicatur per verba, confirmo te Chrismate salutis: 3. Spirituale signum militis Christiani, quod exprimitur verbis Signote signo Crucis. Ergo eadem forma, prout omnia illa verba complectitur, est sola essentialis.

Ad primum in contrarium negamus, opus non esse, materiam Sacramenti huius nominari, cum id apertè Florentinum requirat. Adhæc Chrisma per verbum confirmo non satis exprimitur: at bene aqua per verbum baptizo. Ad 2. Patet ex dictis. Ad 3. Dici-

mus cum Suarez D. 33. Sect. 5. Palao pun. 3. n. 5. & alijs, ibi non exprimi totam formam, sed verbis concisis confirmationē declarari.

XIX. *Castellus jurium Studiosus in rixas venit cum quodam suo commensali, & hunc provocatum lethali vulnere laesit; unde vitæ suæ consulens fugâ elapsus est ultra Rhenum, vbi cum casum hunc Barbatio amico suo narraret, quaesivit istenum gladium suum, quo vulnus intulit, secum haberet, respondit Castellus, adesse eum adhuc à sanguine laesirubentem. Statim igitur Barbatius ensi illi vnguentum vel pulverem aut nescio quod medicamentum, ut vocant sympaticum, illeuit, quo facto, vulneratus breui conualuit, & scriptis literis Castellum, ut rediret, rogavit, periculi securus, quod & fecit. Queritur. Vtrum hoc licitè factum?*

Videtur licitè fieri potuisse. Tum quia Ioan. Baptista Porta in sua Magia L. 8. c. 14. scribit, Maximilianum Imperatorem simili remedio usum ad sanandos vulneratos etiam absentes. Tum quia Auicenna, Alexander, Scotus & nonnulli magni nominis Philosophi docent, agens creatum naturaliter in distans agere posse. Tum quia quoties est dubium, an effectus à causa naturali proveniat, eò quod non constet, an vires eius excedat, nec ne, censendum potius est, à causa naturali provenire. Ergo licitè adhiberi potuit tale medium absque nota superstitionis.

Resp.

Resp. Barbatium illicitè medicamentum istud illeuisse gladio à sanguine vulnerati adhuc rubenti. Ita Bonacina *Tom. 1. de legibus: D. 3. q. 5. pun. 4. n. 18.* Gaspar Wenk *Disput. de noris vnguenti magnetici & eiusdem actionis impressa Dilingæ 1626.* & communiter alij Authores. Probatum. Hic effectus vel est à causa naturali, vel à Deo, vel à malo spiritu. Nō à causa naturali. Tum quia nulla virtus naturalis agit in distans, sed per contactum vel formalem, vel virtuale. Tum quia interruptâ spherâ actiuitatis non potest agens naturale producere suum effectum, vt experientia constat per interpositionem parietis inter magnetem & ferrum. Atqui in præsentis talis fit interpositio per obiecta plura, vt per se constat. Ergo &c. Non etiam idem effectus est à Deo. Quia quando non constat ex Scriptura, vel Ecclesiæ traditione aliquè effectum esse à Deo, non debet is Deo tribui, vt docet *Delrius l. 3. q. 4. s. 1.* Ergo erit à spiritu malo & superstitiosus, ut docent *Delrius, Valentia, Suarez, Sanchez & alij apud Bonac. loc. cit.*

*Ad 1. dicimus, si simile quid effecerit Maximil. Imp. hinc nō iustificatur Barbatius, cum par vtrinq̄ sit ratio. Ad 2. Authores hos asserere istud non interruptâ spherâ actiuitatis, quæ tamen interruptio in proposito contingit. Taceo hisce Philosophis ab omnibus alijs contradici. Ad 3. Non versari nos in casu*



dubio, sed certo & verissimo, ita vt contraria opinio vnus & alterius nullâ aliâ ratione nixa minimè dubium moueat, vel probabilitatem mereatur.

XX. *Carina vxor aliquot diebus domo suâ abest, & diu multumque à viro suo quæ sita nequit vsquam reperiri, aut sciri ex vlllo, quò deuenit, donec post tres hebdomades ex fonte quodam in medijs plateis sito mortua fuerit extracta. Queritur, Vtrum sepeliri in loco sacro possit?*

Videtur non posse. Ita cum nonnullis Diana P. 5. Tr. 3. Resol. 100. quia præsumitur se ipsam interemisse.

Resp. Carinam in loco sacro sepeliendam esse. Ita Trulench Tr. de iure Parochi. c. 9. dub. 6. n. 10. Barbosa de Parocho. p. 3. c. 26. n. 49. & plures apud hunc. Ratio est, quia inter duas præsumptiones simul concurrentes, cæteris paribus, illa præualere debet, quæ delictum excludit, & fauorem continet, vt docet Menoch. cas. 89. num. 23. Ergo cum hîc sint duæ præsumptiones, vna quod Carina ex desperatione se ipsam præcipitauerit: altera quod ex mentis alienatione id fecerit, vel per insidias, aut vim ab alio delecta fuerit, & non magis hoc, quàm illud constet, posterior præsumptio præualere debet priori; cum vniuersim in dubio minus delictum sit præsumendum. *l. meritò. ff. pro socio.* nec quisquam est præsumendus, violentas sibi manus inferre volu-

voluisse, siquidem vnicuique à natura datum, vt se ipsum, quàm potest maximè, seruet & tueatur. *Atque ex his patet ad rationē in contrarium.*

XXI. *Chrysoſtomus Presbyter & insignis Ecclesiastes rogatur à Parocho quodam, vt in dedicatione templi sui ad confluentem magnum populum dicere ex cathedra velit, annuit ille, sed hoc pacto, vt & prandiū liberale & aureū daturū se pollineatur Parocho. Consentit in pactū Parocho, & habita concione Chrysoſtomo lautum prandium exhibet, atque abeunti promissum aureum porrigit. Queritur. Virum loquendo de solo actu concionandi, abstrahendo à labore, sustentatione, vel alio titulo, &c. simonia simul & iniustitia fuerit commissa?*

Videtur nullam commissam esse simoniam accipiendo aliquid pro actu concionandi, cum concionari sit functio Theologiæ, pro qua tradenda aliquid posse dari & accipi, patet ex praxi, & cum pluribus docet Suarez l. 4. de Sim. c. 18. n. 7. & 9. aut profectò non solum simonia, sed etiam iniustitia fuisset commissa, cum Chrysoſtomus nullum habuisset ius accipiendi aliquid à Parocho, vt tradunt Suarez l. cit. c. 4. n. 7. Lessius c. 35. n. 162. Layman l. 4. rr. 10. c. 7. n. 5. & alij.

Resp. In proposito casu fuisse quidem commissam simoniam, nullam autem iniustitiam. Primam partem tradunt S. Thom. 2. 2.

q. 100. art. 3. ad 2 Caiet. Syluester, Angelus, Paludanus, Lessius, Suarez, Layman, Palao, Tr. 17. D. 3. de Simonia. pun 10. n. 7. & alij communiter. Ratio est. Tum quia concio est actus sacer tam ex parte finis, quàm ex parte principij, cum Prædicatores sint Ministri Dei, & eius loco subrogati. Tum quia actus concionandi ex se & naturâ suâ fertur ad mouendam voluntatem, eamque inflammandam ad omne bonum: actus autem Theologiæ non item, sed instructionem solius intellectus. Secundam partem docet Vasq. in opusc. de Restit. c. 6. n. 5. & 6. Ratio est. Tum quia vendendo spiritualia nulla fit emptori, per se loquendo, iniuria; quando enim Clerici Math. 10. iubentur *gratis dare, quæ gratis acceperunt*, hoc debitum gratuitæ donationis, non respicit personas, quibus conferuntur, quasi illis debeantur, sed res ipsas, quibus ea reuerentia debetur. Tum quia inæqualitas quæ in actu simoniaco apparet, & iustitiæ repugnare videtur, vitio non est vertenda, cum materia sit incapax æqualitatis; imò malitia huius peccati potius latet in attentata æqualitate.

*Ad-1. in contrarium patet ex dictis, actum scil. concionandi non esse actum Theologiæ naturalem, ordinatum ex se solum ad instructionem intellectus, sed esse peculiare opus Spiritus Sancti tendens ad inflammandam*  
*hominis*

hominis voluntatem ad amorem Dei, ad pœnitentiam &c. Ad 2. dicimus, esto Chrystomus nullumius habuerit accipiendi aliquid à Parocho pro concione, quia tamen accepit, isto volente minimèque inuito, quomodo iniustitiam erga ipsum exercuerit?

XXII. *Clara Monialis in nupero Germaniæ bello Monasterio suo expulsa aliquamdiu apud cognatos suos seculares morata est cum aliqua sorore sua Religiosa, vbi dubitans de obligatione sua ad officium diuinum, quod in Monasterio dicere solebat, adiit Confessarium, ei que dubium hoc proposuit, ex quo audiit, se non obligari, quamdiu extranea causa extra Monasterium versetur. Queritur. Reddène dixerit Confessarius?*

Videtur malè dixisse. Ita Suarez l. 4. de Relig. c. 17. n. 9. Palao Tr. 7. D. 2. pun. 1. §. 3. n. 5. & plerique alij, dum vniuersim docent, Religiosos ex eo, quod sint extra Monasterium, non esse extra statum choro deputatum, cum non sint extra statum Religiosum. Confirmatur. Si Clara non amplius obligatur ad horas, dum à Monasterio abest, nullus Religiosus in Sacris nondum constitutus tenebitur ad easdem in itinere, peregrinatione &c. Atqui hoc est absurdum. Ergo &c.

Resp. Bene dixisse Confessarium. Nam  
1. Sententia non profus improbabilis est, quã tenent Caiet. in Summa V. hora Can. Emma-  
nuel Sa V. hora Can. n. 1. in editione complus.

Marchantius *in Tribunali Sacr. Tom. 2. Tr. 2. parte 2. Tit. 3. sect. 1. q. 2.* Lessius *in Resolut. Casuum Conscient. pos. P. 2. D. Thom. V. hore Can. casu 94.* & nonnulli alij, Moniales sub onere peccati mortalis non teneri ad horas Can. dicendas in ipso etiam Monasterio. Ergo multò minus ad eas sub peccato tenebitur Clara extra Monasterium versans. 2. Religiosus è Monasterio fugiens: Item ad tempus eiectus non tenentur ad horas, vt cum alijs docet Bonac. *Tom. 1. de horis Can. D. 1. q. 2. pun. 2. n. 6.* quia constituuntur in statu, in quo non est consuetudo recitandi officium Diuinum. Ergo cum Clara furore bellico expellatur ex suo Monasterio: & ob eundem non tam sponte suâ fugiat, quàm aufugere cogatur, censenda etiam est in eo statu constituta, in quo non est consuetudo recitandi horas Can. Ergo ad eas non obligatur.

*Ad argumentum in contrarium* dicimus, Claram non quidem esse extra statum Religiosum, attamen in tali, in quo non est consuetudo recitandi officium Diuinum. Ad confirmationem concessâ sequelâ negant minorem Franc. Bordonus apud Dian. *P. 6. Tr. 8. resol. 12.* & Ioan: Caramuel *in Reg. S. Benedicti D. 217. n. 1443.* rati, nullum Religiosum in Sacris nondum positum teneri ad officium Diuinum, si quacunq; ex causa extra Monasterium versetur. Quæ doctrina videri potest magis habere

habere locum in Monialibus, cum sint, qui dicant, Moniales non posse inducere consuetudinem, quæ apud ipsas vim legis obtineat, Sed quidquid sit de hoc. Negamus sequelam, quia Religiosus in itinere aut peregrinatione moraliter censetur in ipso adhuc Monasterio, adeoque non in statu, in quo ex consuetudine non est obligatio, in quali tamen putatur Clara, cum ab hoste eiecta, & fugere coacta utiq; magis in aliū statum transisse dicatur, quam Religiosus sponte fugiens, aut ob delictum à Monasterio eiectus. Si ergo hi in statu alio positi rectè à Bonac. asserantur, cur non & illa?

XXIII. *Cordula vxor narrat Confessario, maritum suum sæpius debitum exigere coniugale modo & situ non consueto, idque solū ad maiorem voluptatem inde hauriendam citra tamen periculum effusionis seminis extra vas legitimum. Vnde anxia hæret, num eidem reddere aut negare debitum illud debeat. Queritur. Quid faciat?*

Videtur negare debere sub culpa veniali. Ita Henriquez *lib. 11. c. 16.* Ratio est, quia cooperari veniali est veniale.

Resp. Cordulam marito suo debitum coniugale prædicto modo cum veniali scil. culpa exigenti reddere illud absque villo peccato posse & debere. Ita Sanchez *l. 9. D. 16. n. 8.* Basilius Pontius *l. 10. c. 11. n. 4.* Escobar *in Theol. Moral. Tr. 7. exam. 9. c. 9. n. 201.* & plures

Tr. 2.  
t. Ca.  
hora  
es sub  
horas  
o. Er-  
ebitur  
Reli-  
empus  
n alijs  
2. pun-  
o non  
inum.  
tur ex  
spon-  
ensen-  
o non  
go ad  
s, Cla-  
ligio-  
onsue-  
d con-  
m no-  
r. 8. re-  
dicti D.  
Sacris  
inum,  
erium  
magis  
habere

plures alij. Ratio prioris est. Tum quia cum actus ille ex se & intrinsecè malus non sit ob peccatum mariti exigentis, potest ex causa iusta excusari à culpa illa veniali, quam ex cooperatione contrahere deberet; causa autem talis ex parte vxoris reddentis sufficiens est, ne displiceat viro, rixas excitet &c. Tum quia in præsentì casu peccatum veniale apud maritum petentem surgit ex vehementiore voluptatis appetitu, cui non cooperatur vxor reddens, sed actum exercet licitum coniugibus, cum etiam iste modus sine illo appetitu fieri possit. Ergo &c. Ratio posterioris est, quia cum Cordula non peccet reddendo, cur à tali debiti redditione eximatur? Atque sic patet etiam ad rationem in oppositum.

XXIV. *Cyriacus ut rebus à se narratis fidem faciat, frequenter subdit, eas ita veras esse, ut verum est, Deum existere, Christum natum esse ex Virgine, ut vera sunt sancta Euangelia &c. quem confirmandi modum multi horrent, tanquam impium, ideoque Cyriacum grauiter reprehendunt, qui tamen culpam agnoscere non vult. Queritur. Vtrum verba illa blasphemiam contineant?*

Videtur blasphema esse. Ita Couar. de peccatis. 1. P. §. 7. n. 9. vers. 11. Suarez L. 1. de blasphemia. c. 6. n. 12. Barbosa 3. P. de Potest. Episc. alleg. 50. n. 92. & alij. Quia comparatio diuinæ veritatis adducitur ad firmandam veritatem obiecti creati, quæ firmari intenditur æquan-

do veritatem obiecti creati cum diuina. Ergo committitur blasphemia, & quidem hæreticalis, cum creaturæ attribuatur, quod est proprium Creatoris.

Resp. Cyriacum vi præcisè illius comparationis & verborum nec blasphemiam, nec culpam lethalem committere. Ita Azor 1. P. *Instit. Moral.* L. 11. c. 3. q. 2. *in fin.* Sanchez L. 2. *in Decalog.* c. 32. n. 31. Bonac. D. 3. *de 1. præcep. decal.* q. 8. p. 2. n. 13. *in fin.* & alij. Ratio est, quia nihil DEO tribuitur per contumeliam, nec aliquid eidem aufertur, sed solùm instituitur similitudo aliqua, vsurpaturque diuina veritas ad hyperbolicam locutionem & exaggerationem, non ad æqualitatem, vt sensus sit; illud ita suo modo verum esse, sicut verum est istud, v. g. Deum esse &c. Dixi vi præcisè illius comparationis & verborum; nam si intenderet Cyriacus ad æquare infallibilitatem & certitudinem diuinæ veritatis cum creata, vtique blasphemiam committeret; sed tam impia mens nec vi verborum concipitur, nec iure præsumitur. Atq; ex his patet ad rationem in contrarium.

XXV. Didacus Collegij cuiusdam Societatis IESV Reſtor magnâ rei familiaris premitur necessitate. In hac offert ipsi Largus vir quidam pius notabilem pecuniæ summam, quâ malum domesticæ penuriæ satis leuaretur, sed eâ lege, vt certâ & stabilia Sacra annuatim in templis Societatis  
atque



atque etiam à Patribus illius dicantur. *Quaritur.*  
*An Didacus salutem Religionis suae paupertate pecuniam oblatam eâ conditione accipere possit?*

Videtur non posse. Tum quia S. Ignatius Soc. IESV Fundator similem aliquando obligationem nullo modo admittere voluit etiam summam pressus egestate, ut habetur *Part. I. Hist. Societ. lib. 10. n. 109.* Tum quia vel daretur pecunia per modum stipendij, vel elemosynæ? Neutrum dici potest, quia in dicta Societate gravissimè utrumque prohibetur, si fiat in compensationem, uti accidit in praesenti casu, in quo minimè daretur pecunia, si Sacra non legerentur, adedque non nisi in compensationem horum.

*Resp. 1.* Didacum non posse pecuniam hanc accipere siue tanquam stipendium, siue tanquam elemosynam in compensationem Sacrorum à Patribus Societatis IESV dicendorum. Ita ex communi Layman *l. 4. Tr. 10. c. ult. §. 2. n. 17.* habeturque in examine generali eiusd. Societatis *cap. 1. §. 3.* ubi significatur, hanc accipiendi impotentiam esse modum quemdam seu speciem paupertatis, quam Societatis IESV Religiosi vouent iuxta Constitutiones illius; unde testatur Palao *P. 3. D. 3. pun. II. n. 4.* omnes Doctores, qui de hac materia scripserunt, sentire, vi voti paupertatis talem compensationem in Societate Iesu admitteri non posse.

*Resp.*

Resp. 2. Didacum accipere posse prædictam pecuniam, hoc modo, ut vel aliqua Sacra v. g. spatium medij anni dicantur, vel annuatim ab vno Patre in templo Societatis vnū (aut alterum etiam) Sacrum legatur. Ita R. P. Mutius Viteleschus Generalis Societatis IESV respondit olim, à Collegio quodam admitti posse tria millia florenorum eo fine (sed sine obligatione rigida) ut quotannis ab vno Patre in templo eiusd. Societatis funebre anniuersarium legatur. Ratio est. Tum quia sic abest omne pactum defectu rigidæ obligationis; solum quippe subest obligatio ex gratitudine & fidelitate, quam utique intellexit P. Mutius sub obligatione non rigida, & admitti eam posse concedit Palao *loc. cit. n. 6. in fine.* Tum quia sic quoque abest species compensationis defectu commensurationis inter pecuniam datam, & Sacra celebrata; siquidem communi hominum iudicio pro tali notabili pecuniæ summa multò plura Sacra legi deberent, & verò libentissimè etiam legerentur ab alijs Clericis, si hæc illis pecunia offerretur. *Non obstat exemplum S. Ignatij supra relatam; potuit ille alias causas habuisse, & fortè periculum scandali tunc aduersisse, quale in nostro casu non apparet.*

Resp. 3. Didacum accipere posse eandem pecuniam, si Largus illam liberaliter offerat: & vicissim ipse eadem liberalitate Sacra quædam

dam dicenda promittat, absque tamen dependentia promissionis vnus ab altera. Ita post Nauarrum, Rodriquez, & Sanchez, Layman loc cit. Ratio huius est, quia sic etiã pactum, omnisque compensatio (quæ sola puritati paupertatis Societatis IESV obstant) longè arcentur. *Atque sic patet simul ad argumenta in oppositum allata.*

XXVI. *Dionysius Astrologus multos euentus futuros à libero arbitrio dependentes, & res occultas ex astris prædicat, non quidem certò, sed, ut ait, probabiliter, ideòque in amore & æstimatione est apud Principes etiam viros, cum subinde haud aberrare videatur. Queritur. Vtrum hos euentus & facta occulta prænunciare sic possit?*

Videtur posse. Ita Caietanus 2. 2. q. 95. art. 5. & nonnulli apud Palao Tract. 17. D. 1. pun 4. n. 5. quia naturaliter vnusquisque suam naturalem sequitur propensionem & inclinationem. Sed ad hanc astra haud leuiter concurrunt. Ergo ex illis saltem probabiliter vnus cuiusque facta enuntiari possunt.

Resp. 1. Dionysium prædictos euentus & res occultas prænunciare etiam probabiliter solùm non posse, sed prædictionem talem esse superstitionem, quæ proinde attendi & æstimari licet à nullo possit. Ita Less. l. 2. de iustit. c. 43 n. 42. Sanchez l. 2. in Decal. c. 38. n. 33. & communiter alij. Ratio est. Tum quia ex astris humanã industriã deduci non potest cognitio

gnitio probabilis horū euentuum. Tum quia  
astra nō sunt causæ immediatæ liberorum ef-  
fectuum, sed ad summum naturalium incli-  
nationum. Tum quia contra propriam pro-  
pensionem & inclinationem peruersam vnus-  
quisque Dei auxilio adiutus procedit. Ergo ex  
regulis astrologiæ inuestigari non potest cog-  
nitio probabilis; aliàs non diceret Ieremias  
*c. 10. à signis Cæli nolite timere, quæ timent gen-  
tes, quia leges populorum vanae sunt;* nam si ex  
astris cognitio probabilis futurorum euentu-  
um haberi posset, neque vanæ essent populo-  
rum leges, neque irrationabile, illa timere.  
Cū ergo ex solis astris cognitio probabilis  
haberi non possit, nec ex Dei, aut Angelo-  
rum bonorum reuelatione proueniat, restat  
ac necesse est, vt ex instructione & ope mali  
dæmonis acquiratur. Vnde meritò Sixtus V.  
intales etiam, qui similes euentus certò non  
se affirmare protestantur, seuerè ab inquisi-  
toribus animaduerti iussit, cuius constitutio-  
nem innouauit Urbanus VIII. *Bullâ editâ An-  
no 1631.*

Resp. 2. Si Dionysius tenuissimam solūm  
coniecturam faceret, quæ impressam ab astris  
inclinationem non excederet, probabiliter  
nec superstitionem committeret, nec quid-  
quā contra motum Sixti V. aut Urbani VIII.  
faceret; quia coniectura illa ex tenuitate sua  
non sufficeret ad iudicium de euentu futuro

sive absolutè sive probabiliter ferendū, aded-  
que foret potius prædictio contingentia,  
quàm effectūs; vnde etiam eam in foro con-  
scientiæ licere, cum alijs docet Palao *loc. cit.*  
*n. 9.* quidquid sit de foro externo, vbi ex præ-  
sumptione proceditur, & forma talis ad oc-  
cultandam malitiam prætendi censetur.

*Atque ex his patet etiam ad rationem in  
contrarium suprà allatam.*

XXVII. *Dinantus homo ferus suam à se vxor-  
em Gordianam abigit, nec tamen ipsi de vita su-  
stentatione prouidet; ita ergo deserta Gordiana  
impellente paupertate in adulteriū consensit Vdo-  
ni liberalem mercedem pollicenti, quod resciens  
Dinantus diuortium facere cogitat à Gordiana  
ob commissum huius adulterium, in cuius notiti-  
am venit. Queritur. Vtrum hoc possit?*

Videtur facere hoc non posse. Ratio est.  
Tum quia Dinātus eijciendo è domo Gordia-  
nam, & alimenta ei non subrogando est cau-  
sa & cooperatore adulterij eiusdem, quasi co-  
gens ac inducens illam in flagitium istud.  
Tum quia idem consentit in adulterium vxor-  
is hocipsò, quod non prohibeat, cum possit  
maritum autem repudiare vxorem non posse  
ob adulterium, cuius est author, & in quod  
ipsemet consentit, communis est Theologo-  
rum doctrina.

Resp. Dinantum facere iure posse diuor-  
tium à Gordiana vxore sua ob commissum ab  
hac

hac adulterium. Ita ex communi fere DD. Dicastillo de Matrim. D. 8. num. 37. Probatur. Tum ex c. significasti. de diuort. Tum quia non ignoscendum est ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit, vt ait Vlpianus l. palam. n. 34. ff. de diuortijs. Et Glossa c. ex litteris. de diuort. Tum quia non sufficit quælibet causa remota à marito absque intentione data, vt adulterio vxoris cooperari & consentire censeatur. Atque sic patet etiam ad rationes in contrarium, quæ Dinantum solum probant fuisse causam remotam adulterij Gordianæ vxoris suæ; secus foret, si ille eâ intentione eiecisset hanc, & necessaria negasset, vt adulteraretur, vti rectè post alios notat cit. Author.

XXVIII. Dometius vir negotijs secularibus multum implicitus paruam tamen diligentiam adhibet in examinanda conscientia, dum ad Confessionem se parat; vnde mortalia quædam omittit per ignorantiam, quæ à peccato mortali ipsum non excuset; esto supina non sit. Queritur. Vtrum talis Confessio Dometij sit valida?

Videtur non esse. Ita post Gabriel. Maiorem, Adrianum & alios Vasquez in 3. part. Tom. 4. q. 92. art. 2. dub. vnic. Coninck D. 4. de pœnit. dub. II. Layman l. 5. Tr. 6. n. 2. Præposit. q. 2. dub. 6. Facundez de 2. præcept. Eccl. l. 2. c. 7. & quotquot vniuersim negant, Confessionem posse esse validam & informem;

nominatim autē defectu integritatis eandem  
 non admittunt Suarez in 3. part. Tom. 4. D. 23.  
 sect. 4. n. 3. Tanner Tom. 4. D. 6. q. 7. n. III. Lugo  
 D. 14. n. 103. Dicast. de pœnit. D. 8. n. 91. & alij.  
 Prob. Tum quia Concilia Florent. in decreto  
 vnionis, & Trident sess. 14. c. 4. & 5. & Can. 5.  
 6. & 7. pro Confessione; quæ sit necessaria  
 pars huius Sacramenti, semper assignant *for-*  
*maliter integram*, id est, in qua dicantur om-  
 nia motalia (nisi adsit iusta causa excusans)  
 quæ post diligens examen memoriæ occur-  
 runt. Ergo non est valida Confessio, in qua  
 ex defectu examinis mortaliter culpabili  
 omittitur aliquod mortale. Tum quia defe-  
 ctus integritatis vel est culpabilis mortaliter,  
 vel venialiter tantum? Si 2. non impedit fru-  
 ctum, nec Sacramentum erit informe. Si 1<sup>o</sup>  
 committitur sacrilegium, siue ex intentione,  
 siue ex ignorantia mortaliter culpabili prove-  
 niat integritatis defectus, ac proinde Sacra-  
 mentum erit nullum. Tum quia sequeretur,  
 talem pœnitentem validè & infructuosè con-  
 fessum, si in eo statu moreretur, damnatum  
 iri, consequens videtur durum, cùm Sacra-  
 mentum sit informe absq; omni eius culpa.

Resp. Confessionem Dometij probabili-  
 ter fuisse validam, licet informem, id est, sine  
 effectū gratiæ sanctificantis. Ita communiter  
 docet schola D. Thomæ & plures alij, quos  
 refert & sequitur Diana P. 2. Tr. 3. *Miscellan:*  
*Resol.*

*Resol. 31. & P. 3. Tr. 4. Resol. 65.* quibus addo  
Filliuc, *Tr. 7. n. 132.* & Henriquez *in Sum. l. 5.*  
*c. 11. n. 1.* Prob. Tum quia huiusmodi pœ-  
nitens cupit satisfacere, & putat se satisfacere  
integritati Sacramenti: adhibet etiam dili-  
gentiam in examinanda sua conscientia, licet  
non sufficientem. Ergo facit Confessionem  
formaliter integram; esto materialiter talis  
non sit. Tum quia si in hoc casu non posset  
esse validum & informe Sacramentum, sæ-  
pissimè aliqui, maximè rudes, tenerentur re-  
petere suas Confessiones, cùm facilè omittere  
possint peccatum mortale ex obliuione vel  
ignorantia mortaliter culpabili, etiamsi acce-  
dant ad Sacramentum animo omnia peccata  
sua confitendi, & in hunc finem etiam se  
examinent, licet non sufficienter; & tamen  
praxis Confessoriorū habet, huiusmodi con-  
fidentes non astringere ad iterandam Confes-  
sionem peccatorum, quæ cum illa obliuione  
vel ignorantia confessi sunt, sed pœnitentibus  
iniungunt, vt de illa negligentia in prioribus  
confessionibus admitta doleant.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, talem Confes-  
sionem esse formaliter integram, nec ad hanc,  
vt præcisè valor Sacramenti subsistat, exigi  
à Concilijs eam diligentiam, ex qua pœnitens  
inculpabiliter nullū omitat peccatum mor-  
tale, sed ex qua non intendat mutilare inte-  
gritatem Confessionis. Confirmatur. Plus



requiritur ad fructum huius Sacramenti percipiendum, quàm ad valorem solùm eiusdem ponendum, vt concedunt Lugo D. 14. de pœnit. n. 88. Dicast. D. 6. n. 84. & alij plures asserentes, Confessionem posse esse validam & informem defectu attritionis extensiuo inuincibili. Cùm ergo ad fructum Confessionis requiratur diligentia, quâ inculpabiliter nullū omittatur peccatū mortale, sufficiet ad valorem eiusdem diligentia, quâ creditur nullū culpabiliter omitti, etiamsi reuera non ita se habeat. Ad 2. Negamus committi sacrilegium in susceptione huius Sacramenti cū prædicta obliuione vel ignorantia mortaliter culpabili; siquidem ista ignorantia non intenditur, sicuti crassa & supina, quæ idcirco scientiæ comparatur. Urgent. Obliuio ista vel manet in actu confessionis, vel non? si illud, confessio erit sacrilega: si hoc, erit fructuosa. Dicimus, manere quidem illam, attamen præter opinionem: non verò intendi; vnde integritati formali non officit, quia à scientia lethalis culpæ deficit, quæ sola valorem confessionis destruit. Ad 3. Conceditur sequela, in qua nihil tam durum apparet, quàm sibi imaginatur Facundez loc. cit. n. 10.

XXIX. *Domitius Presbyter valde liberalis est in promittendis Missis, vt numerus harum facile numerum dierum saperet, quibus celebrare possit; quod aduertentes alij mirantur, si verbis suis stare possit,*

possit, quibus ille ait, pluribus se promissionibus vno sacro satisfacere propter præstantiam Sacrificij. *Queritur, Rectène id faciat Domitius?*

Videtur malè id facere. Ita D. Bonavent. Richard. Durand. Palud. Couarr. Suarez, Lay. & alij, quos refert & sequitur Diana P. 5. Tr. 14. Resol. 81. Item Dicast. Tom. 1. de Sacram. Tr. 5. D. 3. n. 113. Tum quia in Constantiensi Concil. damnatur hæc propositio Wiclephi: *speciales orationes applicatas vni per Prelatos non plus prodesse eidem, quàm generales orationes.* Ergo hoc ipsum asserti nequit in Sacrificio. Tum quia Sacrificium est finiti valoris & effectus, vt post plures docent Card. de Lugo de Euch. D. 19. n. 246. & Cardin. Sfortia Pallanicinus l. 6. Thes. Theolog. 173. & 174. Et sit etiam infinitus, tamen effectus semper est finitus. Ergo inter plures diuisus minor semper est in singulis. Tum quia sic frustraneum erit, pro vno vel pluribus defunctis multa offerre sacrificia. Tum denique quia hæc ratione Sacerdos vnicâ Missâ pluribus satisfacere posset, etiam si ab illis stipendiū acceperit, quod est absurdum, & prohibitum à Sac. Congreg. & decreto Urbani VIII. Papæ.

Resp. 1. Virtutem & valorem sacrificij esse ex se infinitum tam quoad intensionem, quàm quoad extensionem. Ita Vasq. Suarez, Coninck, Palao Tr. 22. D. vnic. pun. 6. num. II. Dicast. D. 3. cit. dubit. 4. n. 77. & communiter

alij. Ratio est. Tum quia res oblata & principalis offerens, ex quibus vnicè vis omnis desumenda, sunt infiniti valoris. Tum quia non est inconueniens dicere, hanc virtutem Sacrificio coniunctam esse à Deo; si enim secundum maiorem dispositionem suscipientis maior datur gratia, multò magis concedi id debet Sacrificio, cùm crescere possit tam quoad intensiōem, quàm quoad extensiōem, siue ad plures personas in infinitum syncategorematicè,

Resp. 2. Si Sacerdos confusâ tantùm seu generali intentione applicet Sacrificium pluribus, v. g. omnibus huius ciuitatis, probabiliter tunc minùs prodesse singulis, quàm si vni tantùm specialiter fuisset applicatum. Ita Scotus, Sotus, & Syluest. apud Dicast. *loc. cit. n. 107.* Item Palao *pun. 6. cit. n. 16.* citans pro se Vasquetium. Ratio est, quod Sacrificij effectus pendeat ex applicatione Sacerdotis, vt post Suarez, Vasq. & alios communiter docet Laym. *l. 5. Tr. 5. c. 2. assert 4.* Ergo conueniens est, vt applicationi perfectiori perfectior, & abundantior respondeat effectus.

Resp. 3. Si Sacerdos speciali intentione applicet Sacrificium pluribus, probabilius esse, perinde illud prodesse singulis illorum, ac si vni tantùm fuisset applicatum. Ita Caietanus *in 3. part. q. 79. art. 5.* Vasq. *in 3. part. Tom. 3. D. 231. c. 3.* Pet. Nauarra *de Restit. l. 2. c. 2.*

n. 268.

n. 268. Gaspar Hurt. *de Sacramentis D. 3. de Sa-*  
*crif. Missæ diffic. 8.* Palao *pun. 6. cit n. 13.* & alij  
ab his relati. Prob. Tum autoritate S. Hie-  
ronymi adducti *in C. non mediocriter. de Con-*  
*secr. dist. 1.* vbi ait: *dum pro cunctis animabus*  
*psallimus, vel Missa dicitur, nihil minùs, quàm si*  
*pro vnoquoque diceretur, accipitur.* Tum quia  
potuit Christus ita instituisse hoc Sacrificium,  
vt ex opere operato iuxta intentionem Sacer-  
dotis conferretur æqualis fructus pluribus  
non aliter, ac si ille hunc ipsum fructum vni  
tantùm intendisset, vt concedit Dicast. n. 115.  
Ergo cùm hoc dignitatem Sacrificij vehemè-  
ter efferat, nec minùs liberalitatem Dei com-  
mendet, atque insuper salutem nostram ma-  
ximè promoueat, credendum est, ipsum sic  
de facto instituisse. Tum quia Sacrificium  
hoc (cæteris paribus) quoad impetrationem  
non minùs prodest singulis, ac si vni tantùm  
applicaretur, vt concedunt Suarez *D. 79. sect.*  
*2. Dicast. n. 131.* & alij. Cur ergo non etiam  
quoad satisfactionem? cùm non minùs ad  
satisfaciendum, quàm impetrandum habeat  
valorem infinitum. Tum quia ignis applica-  
tus pluribus passis causat eundem in singulis  
effectum, quem in vno habiturus fuisset huic  
soli applicatus, vt docent communiter Phi-  
losophi. Ergo etiam Sacrificium Missæ pluri-  
bus hominibus applicatum sortitur eundem  
in singulis effectum, quem habiturus fuisset

set in vno huic soli applicatum. Aut cur istud minoris efficaciam dicamus, quam illud?

Resp. 4. Etiam si Sacrificium infiniti sit valoris, & pluribus applicatum non minus singulis profit, quam si pro vno tantum fuisset oblatum, nihilominus nullus Sacerdos duo aut plura iusta stipendia pro vno sacro accipere potest. Ita hodie omnes post decretum Urbani VIII. imò Suarez *D. 86. sect. 2. concl. 4.* testatur, etiam suo tempore nullum fuisse aliud ausum asserere. Ratio est. Tum quia est contra communem sensum & usum totius Ecclesie; nam si in aliquo Anniversario aut Capella maior est Missarum numerus, recurritur ad Papam, vel Episcopum, ut cum consensu Synodi dispenset iuxta *Trid. sess. 25. c. 4.* quod minimè necesse foret, si vnum Sacrum pro pluribus stipendijs legi posset. Tum quia stipendium non confertur pro sacro, sed pro sustentatione Sacerdotis sub obligatione Sacrum faciendi. At iniustum est, & contra voluntatem cōductorum, velle pluribus stipendijs integris acceptis uno Sacrificio satisfacere. Ergo &c. Tum quia res adhuc dubia est inter Authores, vtrum Sacrificium pro pluribus oblatum ita profit singulis, ac si tantum pro vnico fuisset oblatum. Ergo iniuste & contra rationabilem fidelium voluntatem accipiuntur pro vno sacro plura certa stipendia.

Resp. 5. Domitium nullo etiam stipendio  
 accepto

accepto pluribus Missis, quas pluribus personis absolutè & singillatim promisit, satisfacere non posse vno sacrificio. Sequitur ex dictis, & probatur. Tum quia talis promissio Sacri v. g. Annæ facta ex communi hominū sensu significat Missam vnam vni vnicè legendam, aut eius intentioni applicandam. Tum quia certa & determinata promissio certum ac determinatum effectum postulat, qualem in proposito non habet Sacrum nisi vni promissario applicatum. Tum quia non minus is, qui Sacrum gratis oblatum accipit legendum, quàm qui id conducit mercede, intendit obligare Sacerdotem ad id, quod est vtilius, & quantum licitè potest, atque omni meliori modo, vt rectè Graff de celebrat. Missar. Tom. 2. conf. 3. Etiam si igitur Sacerdos iuxta tertiam responsionem speciali intentione applicare possit Sacrificium pluribus, ita vt probabiliter singulis horum æquè proffit, ac si vni tantum fuisset applicatum, si tamen pluribus absolutè & singillatim Missam promisit, nõ satisfacit omnibus illis vno vnico Sacrificio propter promissionem, quæ amplitudinem libertatis suæ ad certum & limitatum modum restrinxit, consuetum scilicet sensum & usum Ecclesiæ.

*Ad I. in contrarium negamus consequentiam, quia in Sacrificio, quando offertur pro pluribus, ita vt singulis æquè proffit, ac si pro*  
vno

vno fuisset oblatum, exprimi oportet singulorum nomina, vt patet ex Resp. II. id quod nō fit in oratione generali; vnde inter damnatam propositionem Wiclephi & Resp. nostram III. grandis est disparitas, vt optimè notat Dicast. n. 113.

*Ad 2.* Eiusque priorem partem patet ex Resp. I. Ad alteram partem distinguimus: effectus Sacrificij est finitus quoad æqualitatem, ita vt eiusdem magnitudinis reperiat in singulis, concedimus: est finitus quoad diuisionem ita vt minor in singulis existat, quàm extititurus fuisset, si idem Sacrificium pro vno solo fuisset oblatum, negamus. *Ad 3.* negamus frustraneum fore; nam esto in quolibet Sacro eadem virtus impetrandi contineatur, ac continetur in omnibus; ac applicatio illius virtutis efficacior est pluribus Sacris factis, quàm vno tantum, cæteris paribus. Urgent rati, posse saltem vno Sacro sic liberari omnes animas è purgatorio. Negamus istam quoque sequelam, quia Sacrificium, inquit Palao *loc. cit. n. 14.* prodest animabus purgatorij secundum mensuram gratiæ, quam habent, & deuotionem, quâ existentes in hac vitâ procurant sacrificium, ac intentionem Sacerdotis; cum autem hæc æqualia esse nō possint in omnibus animabus purgatorij, efficitur, nō æquè omnibus Sacrificium prodesse. *Ad 4.* patet ex responsione quarta.

XXX. Donatus Parochus in nupera Quadra-  
gesima, sicuti cum alijs, ita secum dispensavit cir-  
ca carnis esum, nullâ peculiari petita facultate ab  
Ordinario, cum ad hunc accessus esset perfacilis.  
*Quæritur. Vtrum benè?*

Videtur malè secū dispensâsse. Tū quia nemo  
potest esse in propria causa Iudex, nec sibi ipsi  
esse superior. Tum quia inter dantem & reci-  
pientem debet esse distinctio; vnde is, qui  
potest & tenetur alteri conferre beneficium,  
non potest illud applicare sibi, *cap. fin. de inst.*  
Tum quia Prælati Ecclesiastici tam Sæcu-  
laris, quàm Regularis potens dispensare in  
votis cum suis subditis, non potest dispensare  
secum, cum nemo in se ipsum iurisdictionem  
exercere, vel in proprio facto præstare autho-  
ritatem possit. *l. 1. ff. de autoritate Tutor.* Ergo  
nec Parochus secum dispensare in ieiunio po-  
terit. Tum quia aliàs etiam Sacramentū pœ-  
nitentiæ sibi ipsi impendere, & seipsum ab-  
soluere à peccatis poterit, quod nemo con-  
cedit.

Resp. Donatum licitè & validè potuisse  
secum dispensare in ieiunio, Ita Couar. *C. al-*  
*ma. 1. part. §. 1. n. 7.* Sanchez *l. 8. de Matr. n. 6.*  
*& l. 4. in Decalog. c. 37. n. 40.* Salas, Suarez,  
Bonac. *Tom. 2. D. 1. q. 2. pun. 1. n. 9.* & alij apud  
hos. Ratio est, Tum quia nec ex iure natu-  
rali, nec ex positivo repugnat, aliquem secum  
dispensare; non prius, cum iurisdictione ista  
non



non sit contentiosa, neque coactiua, aut punitiua, neque Sacramentalis, quæ distinctionem personarum requirat, sed omnino voluntaria exigens solum directionem prudentem pro examinanda causa dispensationis: nõ posteriùs, quia nullus reperitur textus hoc vniuersaliter interdicens, sed tantum in particulari materia ambitiosa & fraudibus subiecta, in quæ sensum intelligenda est *lex i. cir.* Tum quia in iurisdictione voluntariã potest quis plurium vices sustinere, dummodo exercitiũ vnus actus non obstet exercitio alterius, ut constat ex *l. si consul. ff. de adopt.* Tum quia Parochus non debet esse deterioris conditionis, quàm Parochiani, cum ergo isti presentem habeant, à quo dispensationem acquirere possint, cur ipse absentem Superiorem quærat?

*Ad 1. in contrarium* patet ex dictis, id scilicet verum tantum esse quoad actum iurisdictionis contentiosum, coactiuum, aut Sacramentalem. *Ad 2. negamus,* opus esse distinctione inter dispensantem & dispensatum in actu iurisdictionis voluntariæ. Beneficium non potest aliquis sibi ipsi conferre ex speciali iure Ecclesiastico citato ad vitandum perniciosi Prælati exemplum, ut rectè Abbas ibi n. 5. *Ad 3. negamus* antecedens cum plerisque Doct. teste Layman *l. 1. Tr. 4. c. 22. num. 31.* Sensem allatæ legis suprâ dedimus *Ad 4. negamus* itidem sequelam, cum huiusmodi Sacramentalis absolutio fiat per modum sententiæ,

tentia, quæ propriè non nisi in alium ferri potest; vnde iure diuino postulat distinctionem personalem inter absoluentem & absolutum.

XXXI. Drogo ex Diœcesi Tabracensi committit impium Sortilegium, quod confitens Parocho intelligit in hoc Episcopatu esse casum reseruatum, quam reseruationem planè ignorabat Drogo; remittitur ergo à Parocho ad aliquem habentem potestatem absoluendi à reseruatis. *Quæritur. Vtrum benè?*

Videtur bene dimisisse, cum ex hypothesi non habuerit potestatem absoluendi à reseruatis. Ita cum plerisque alijs Hurt. de Mendoz. in 2. 2. volum. 1. D. 84. sect. 1. §. 8. Tum quia reseruatio talis in Synodo non est facta pœnitentibus, sed Confessarijs. Tum quia eadem non fit in odium delicti, sed ob bonam Diœcesis gubernationem, quàm distinctionem tradens Palao Tr. 2. D. 1. pun. 17. n. 8. addit, ab illa quidem priore, non autem ab hac posteriore liberare ignorantiam. Tum quia reseruatio potest etiam fieri de peccatis præteritis. Ergo ignorantia nihil ad illam prodest.

Resp. Drogonem ob ignorantiam huius reseruationis probabiliter non incurrisse in eam, ideòque à Parocho absolui à peccato Sortilegij potuisse, & consequenter malè sine absolute dimissum fuisse. Ita Nauarr. in *Manuali* c. 27. n. 80. Graff de casibus reseruatis. l.

2. c. 40. n. 29. & Iosephus de Ianuario de casibus reseruatis *resolut.* 1. quos refert, & sententiam hanc satis probabilem iudicat Diana P. 10. Tr. 16. *resol.* 3. & nonnulli alij, quorum tacito nomine meminit Mendoza *loc. cit.* Ratio est. Tum quia actus Sortilegij, prout substat reservationi, est ignoranter factus. Ergo, quæ talis, est inuoluntarius. Ergo non est peccatum, & consequenter nec casus reseruatus. Tum quia nulla pœna extraordinaria à Synodo imposita incurritur, si inuincibiliter ignoretur, vt cum pluribus docet Palao *loc. cit.* n. 6. Atqui omne statutum reservationis est pœnale, & in odium peccati, vt apertè docet Facundez L. 8. in 2. *precept.* Eccles. c. 1. n. 28. alios referens, Ergo nullum statutum reservationis incurritur, si inuincibiliter ignoretur, vt pluribus ostēdimus cent. 1. casu LXXVIII.

Ad 1. in contrarium dicimus, reservationem, cū sit in pœnam delicti, non posse nõ esse directè ad pœnitentes, esto inde etiam ad Confessarios se reflectat; vnde etiam respectu horum non est limitatio iurisdictionis absolute, sed cum ordine ad pœnitentes, qui & ipsi statutis Diœcesanis obligantur. Ad 2. Reservationem casuum semper spectare bonum Ecclesiæ, nihilominus tamen esse pœnam, vt etiam docent Reginaldus, Bonac. & alij apud Dianam P. 6. Tr. 6. *Resol.* 42. Ad 3. Reservationem de præteritis non fieri per modum statuti

statuti in ordine ad pœnitentes, sed per modū præcepti in ordine ad Confessarios; vnde mirum non est, ignorantiam in his non prodesse delinquenti; Reseruationes autem de præteritis non facilè censeri debent Episcopales, & in Synodo factæ, vbi plerumque ex lapsu aliquorum statuuntur, vt alij ab eodem absterreantur; cuius contrarium fortè fit in Religionibus, vbi per casuum reseruationem non tam attenditur correctio aliquorū, quàm præseruatio omnium, vt proinde videatur se habere per modum præcepti directè, & vnicè Confessarios concernere. Atque hæc responsio nostra ad præsentem casum, vt merito suo probabilis, ita perquam utilis videtur Parochis, cum rari sint è Parochianis, qui reseruationes Synodales sciant.

XXXII. *Dympna sponsa & illustris virgo pridie nuptiarum, dum ad Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ se parat, meminit, se post pubertatem votum Castitatis absolutum edidisse; vnde vehementer anxia indicat id Confessario ( qui est ex Ordine quodam Mendicantium habens jurisdictionem quasi-Episcopalem ) & rogat, oratque ab hoc vinculo solui, cum nec Summus Pontifex adiri, nec nuptiæ absque ingenti infamia, & graui suo & aliorum incommodo differri possint? Queritur. Quid faciat, dicatque Dympna Confessarius?*

Videtur debere dispensare cum ea. Ita Croulers in Regul. S. Francisci c. 7. lect. 29. *Mometur.*

Hh

metur.

uetur. Quia Confessarius ille, vt ponimus, potest dispensare in omnibus votis & iuramentis, in quibus potest Episcopus potestate ordinariâ. Sed Episcopus potest dispensare in votis reseruatis in casu necessitatis potestate ordinariâ. Ergo &c. Prob. Min. Episcopus potestate ordinariâ potest in sua Diœcesi, quidquid potest Pontifex in toto orbe Christiano, nisi eidem sit specialiter prohibitum, vt habet communis Theologorum. Atqui vota reseruata in graui necessitate non sunt reseruata, & specialiter prohibita Episcopo. Ergo potest in hoc casu dispensare potestate ordinariâ; cùm tantùm reseruentur extra casum necessitatis: & ante reseruationem circa omnia vota possit dispensare Episcopus.

Resp. Confessarium non posse dispensare cum Dymna. Ita Suarez, Sanchez, Facundez, Layman, Palao, Barbosa *part. 2. de potest. Episc. alleg. 37. n. 14.* & alij communiter. Ratio vnica & solida est. Quia Mendicantes (& quilibet alij illorum priuilegio gaudentes) non possunt dispensare in votis reseruatis, quamdiu reseruata manent, vt fatentur omnes. Atqui vota, quæ in casu necessitatis competunt Episcopis potestate non ordinariâ, sed solùm extraordinariâ & ex benigna Pontificis interpretatione, adeoque per accidens, manent reseruata. Ergo Mendicantes dispensare in ijs non possunt. Quid ergo faciendum Confessario? quàm citissime

citissimè adeundus est Ordinarius, & dispensatio ab eo flagitanda; sin iste etiam aditus ad Ordinatum tam citò fieri nequeat, Dymna vel ægritudinem aliquam interea prætere vel aliquod incommodum, aut etiam periculum subire debet.

*Ad rationem in contrarium, concessâ Maiore, negamus Minorem* Ad probationem distinguimus Min: Vota reservata in casu gravis necessitatis non sunt reservata, & specialiter prohibita Episcopo iure ordinario, negamus: extraordinario & ex benigna Pontificis interpretatione, concedimus; hæc autem accidentalis concessio non facit, quò minus illa vota ex sua individuâ ratione absolutè dicantur reservata, & indispensabilia remaneant cuilibet alteri ex privilegio quasi Episcopalem iurisdictionem habenti, ut clarè patet in casibus reservatis, qui non desinunt esse reservati eò, quod in articulo mortis eorum absolutio cuilibet Sacerdoti per accidens concedatur.

XXXIII. *Elfrida mulier maritata pro usu corporis sui pretium non exiguum accepit à Rabone nobili adolescente, de quo pretio nunc respiciens angitur, maxime quod extorserit illud blanditijs & mendacijs, quasi tanto illius arderet amore &c. Queritur. Vtrum Elfrida sic acceptum & extortum pretium pro adulterio retinere possit?*

Videtur non posse. Ita Ioan. Medina, Mart.

Hh 2

Nauarrus

Nauarrus, Paulus Comitulus, & alij apud Dianam P. 2. Tr. 16. Res. 38. & Card. de Lugo de just. D. 18. n. 45. Tum quia accipiens aliquid ob scelus, peccat, cum illud approbare videatur. Ergo non potest accipere. Ergo nec retinere. Tum quia actus ille non est licitè vendibilis, cum non sit licitè ponibilis. Tum quia peccatum & fraus nō debent delinquentibus patrocinari.

Resp. Elfridam absolutè posse acceptum pretium à Rabone pro vsu corporis sui præstito retinere. Ita Lessius l. 2. c. 14. dub. 3. & Tanner. Tom. 3. D. 4. q. 6. n. 300. vbi ait, omnes fere Theologos & Iuristas in hoc cōuenire consentiente D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. Ratio est, quia pro omni actu, qui pretio æstimabilis est, accipi potest merces. Atqui actus meretricius, si spectetur nō vt turpis & illicitus, sed vt naturalis, & hominū delectationi accommodatus, potest pretio æstimari, Ergo &c. *Diximus absolutè posse retinere*, nempe non tantum iure naturæ, sed etiam positiuo, quia per hoc nullæ meretrices etiam occultæ ac maritatæ huius præmij factæ sunt inhabiles, vt contra nonnullos docent Syluester, Couarr. Sotus, Molina, Corduba, P. Nauarrus & teste Dicastillo Tr. 2. de just. D. 6 n. 18. cōmuniter alij.

*Ad 1. in contrarium dicimus*, accipere vel dare ante scelus patratum, esse peccatū, quia tunc dans inducit ad scelus, & accipiens spondet

spondet ac promittit scelus, sub tali enim conditione datur & accipitur; dare autē vel accipere post scelus patratum, non esse peccatum, quia tunc non datur vel accipitur, quod crimen placeat, sed ratione laboris, sumptūs, delectationis, vel periculi suscepti, aut ratione pacti onerosi, quod fieri potest cum perfecta sceleris detestatione, & animo nunquam amplius committendi, vt bene Dedicastillo *loc. cit. n. 6.* Ad 2. inde non sequi, illius actūs venditionem esse contra iustitiam, quā enim parte utilis est & delectabilis, habetur dignus pretio, vt in Respon. diximus. Ad 3. in proposito Elfridæ non patrocinari peccatum, sed ius, quod habet ad pretium, vt ponimus, non excessiuum, licet modo illicito acquisitum, absque fraude tamen, quam nō faciunt blanditiæ & mendacia muliebria consueta, qualia Elfrida adhibuit, sed tantūm insolita, cum hæc, non illa voluntarium tollāt, vt præter alios rectē notat Lugo *loc. cit.*

Hinc infertur contra Dianam & Valerum apud eundem *loc. cit.* Elfridam patrato opere pretium promissum & acceptum non solūm retinere, sed etiam nondum acceptum exigere iure posse, vt rectē cum alijs tradit Dedicastillo *loc. cit. n. 11.* quia promissio non fuit gratuita, sed onerosa, nempe contractus in-nominatus, *do, vt facias, quem contractum*

Hh 3

cum



cum altera pars impleuerit, altera quoque ex iustitia implere tenetur.

XXXIV. Esau venator nuper eiaculando in ceruum tetigit quidem istum, non tamen ita, ut ex ictu statim concideret, sed ulterius progressus post alterum ictum, quem ab Ismaële accepit, primum mortuus procubuit. Queritur. Cuiusnam horum sit ceruus, cum praesertim dubium sit, num post ictum ab Esau acceptum effugere potuerit?

Videtur esse Ismaëlis. Ita habetur §. illud *quæsitum*. *Instit. de rerum diuisione*. Et *l. naturallem ff. de acquirendo rerum dominio*.

Resp. 1. Ad Esau pertinere ceruum, si iste lethali ictu ita ceruum tetigit, ut moraliter eius persequentis manum effugere non posset, Ita ex communi Dicastillo *Tr. 2. de iustit. D. 9. n. 330*. Ratio est, quia ad acquirendum feræ dominium requiritur, ut apprehendatur, & quidem tali apprehensione, quâ censeatur amittere naturalem suam libertatem. Atqui Esau ceruum lethaliter vulnerans ut manum suam effugere non posset, sic eum apprehendit per globum à se emissum & vulnus lethale eidem inflictum, quod sufficit, cum non requiratur, ut apprehensio per manum immediatè fiat. Ergo &c. Confirmatur ex *l. in laqueum ff. de acquirendo dominio*, ubi dicitur, *feram fieri meam, si in meam venerit potestatem*. Sed ceruus sic lethaliter vulneratus, ut effugere non posset, venit in potestatem Esau. Ergo &c.

Resp.

Resp. 2. Ceruum ad Ismaëlem pertinere, si ita leuiter ab Esau fuit tactus, vt capti ab ipso non posset. Ita cit. Author, qui rectè ait §. *illud quaesitum. & l. naturalem. cit.* ex communi Authorum in hunc sensum intelligi. Ratio est, quia Esau suo ictu non ita apprehendit ceruum, vt iste suam naturalem libertatem amisisse censeretur, sed hanc libertatem primum Ismaël altero ictu abstulit, & ceruum in suam redegit potestatem. Ergo &c. Resp. 3. Si dubium sit, num ceruus primo ictu ab Esau tactus euadere potuerit, tutius quidem esse, quod scit Laym. *l. 3. Tr. 1. c. 5 num. 12.* vt inter vtrumque iuxta proportionem dubij diuidatur, sed fortè non necessarium; nam si dubium inde oriatur, quod vulnerator difficulter ceruum capturus fuerit, censebitur ceruus retinuisse naturalem libertatem suam. *l. naturalem. cit.* adeoq; pertinere non ad Esau vulnerantem, sed ad Ismaëlem primò occupantem, vt rectè Dicastillo *loc. cit. n. 331.* Atque sic patet etiam ad rationem in contrarium.

XXXV. *Eudoxia ob grauissimum malum, quod leui mendacio sibi alijsque peperit, iuramento promittit DEO, nullum deinceps mendacium cuiuscunque rei causâ se facturam, quod rescians maritus eius Theodosius, ne Eudoxia nimis inde anxia reddatur, votum illud ac iuramentum irritat, nullumque declarat. Queritur. An hoc potuerit?*

Videtur non potuisse. Ita Nauarr, Azor,

Hh 4

Suarez,

Suarez, Lessius & alij plures, quos refert & sequitur Palao Tr. 15. D. 2. pun. 6. n. 2. Mouentur, quia vxor non est quoad hoc subiecta viro, neque votum istud est præiudiciale marito, cum nec vsui matrimonij, nec educationi prolis, nec gubernationi domûs obstat.

Resp. Theodosium votum ac iuramentum Eudoxiæ suæ, stante matrimonio, de non-mentiendo emissum potuisse irritare. Ita cum aliis P. Thomas Sanchez, L. 9, de Matr. D. 3. n. 7. & D. 39. n. 4. Item L. 4 in Decal. c. 34. n. 3. Vbi grauissimè contendit, maritum omnia vota vxoris (sive sint libera, sive obligatoria) stante matrimonio edita irritare posse, quam sententiam absolutè admittit Facundez L. 2. in Decal. c. 37. n. 12. & probabilem atque in praxi tutam iudicant Palao *loc. cit.* Lessius L. 2. de Iustit. c. 40. dub. 15. n. 88. & alij. Probat. Tum ex lib. Num. 30. Vbi eodem modo sacer textus loquitur de voto vxoris, ac de voto puellæ existentis in domo Patris, Tum quia Vxor subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo *ad Ephes. 5.* Ergo omnes eius actiones viro subiectæ sunt. Tametsi igitur Maritus & Vxor pares sint quoad obligationem non-mentiendi: item quoad libertatem non petendi debitum, adeoque neuter coniugum alteri sit subiectus, at tamen subiicitur vxor Marito tanquam capiti, atque idcirco huius est, dirigere vxorem, ne imprudenter voyeat ac iuret.

Ad rationem in Contrarium dicimus, esto materia huius ac similibus votorum non sit subiecta marito, est tamen voluntas vxoris eidem subiecta, & ita Eudoxia à Theodosio est dirigenda, ne nouis implicata obligationibus ad matrimonij onera, educationem prolis, & familiæ gubernationem ac socialem vitam minùs inde apta reddatur.

XXXVI. Euentius Campsor dedit Norinbergamille florenos Euentiano Campsario, qui spondet solutionem Francofurti, vbi tamen nullam habet pecuniam, nec aliquem notum, qui id onus in se recipiat. Campsor ergo suum correspondentem seu Factorem ibi positum Campsario accommodat eius nomine sibi satisfacturum, qui ex composito recambit, seu nouas litteras cambij ad primum campso remittit, iubens accipere solutionem à primo Campsario, quo fit, vt Euentianus ibidem debeat soluere, vbi primò accepit, & quidem geminà iacturà duplicis cambij. Queritur. Vtrum istud recambium (quod aliqui recursæ vocant) sit licitum & iustum?

Videtur illicitum. Ita Molina de just. Tr. 2. D. 404. Sotus de just. l. 6. q. 10. art. 1. Tanner Tom. 3. D. 4. q. 7. n. 149. Antonius Merenda Tr. de Camb. Nundinali. c. 2. n. 108. & præter alios latissimè Paulus Comitulus in resp. moralib. l. 3. resp. quest. 15. & 16. Mouentur. Tum quia quandocunque solutio datæ pecuniæ eodem loco repetitur, signum est mutui. Atqui hoc

Hh s

fit

fit in præfenti. Ergo &c. Tum quia pecuniam præfentem cum abfente commutare, vbi nulla eft, perinde fictitium eft cambium, ac emptio equi ab eo, qui nullum habet. Tum quia campfor ex mera lucri cupiditate non vult dare pecuniam campfario indigenti. Ergo nomine Cambij mutuum palliat, vt lucretur. Tum quia Campfarius involuntariè cambiū accipit, cum mallet aliā ratione nempe mutud pecuniam acquirere. Ergo contractus eft irritus. Tum quia Creditor ipfum debitum in folutionem accipere non potefl. Atqui iftud in propofito fieret; alter enim Campfor, què prioris factorem pofuimus, pro folutione nō numerat pecuniam, fed tantūm creditū chyrographo fignatum remittit ad primum campforem; quod creditum non eft aliud, quā ipfum debitum campfarij, & ita merus lufus committitur.

Resp. Recambium prædictum *recurfa* fpeculatiuè loquendo, iufum, licitūque eft, ac defendi potefl, etfi practicè non fit confu- lendum. Ita Ioan. Salas de Cambijs *dub. 17. Lefl. de iuf. c. 23. dub. 7.* Nauarr. *Tom. 2. Corc. Tit. de vfuris. conf. 1.* Marcus Serra. *Tom. 2. in 22. D. Thom. q. 77. art. 7.* Ludouic. Caspenfius *Tom. 2. tr. 19. D. 6. f. 5.* Card. Lugo *de iuf. D. 28. n. 98.* & plures, quos refert & fequitur Diana *part. 1. T. 8. R. 1. & P. 9. Tr. 3. R. 67.* Pri- or pars. Probatat 1, authoritate Pij V. Papæ, qui

qui Bononiensibus in quodam Breui facultatem dedit erigendi forum, in quo approbare videtur cambium *recurse*, formalia verba italica refert Lugo n. 84. Prob. 2. ratione, Tum quia, vt huiusmodi cambium verum ac reale, nō siccū & fictitium sit, neququam requiritur, vt Campsarius ipso tempore contractus habeat iam actu, & reipsā pecuniam in loco, vbi facienda solutio, sed sufficit, vt illam ibi habeat in spe, & virtualiter, aliās nec vendi nec permutari possent debita imposterum soluenda. Tum quia in eiusmodi reciproco contractibus Campsor posterior seu Factor prioris (qui tamen censetur in præsenti vnus idemque) duas personas representat; nim. creditoris, quatenus accipit solutionem, & debitoris, quatenus eius nomine per suum factorem sibi met satisfacit; quod in alijs negotijs humanis frequenter accidit; nam Legati & oratores modò suam, modò Regum ac Principum, à quib. missi sunt, personam agūt. Nec refert, quod in 2. cambio non numeretur præsens pecunia, sed dentur tantū litteræ recambij, si enim creditor contentus sit, perinde est, pecuniam, vel aliquid æquiualens, vt chyrographum, reddere. Posterior pars responsi probatur inde, quod facilè subsit vsura saltem mentalis, præsertim si nolis aliter cambire, nisi tali flexu eodem loco solutionem cum lucro recipias, vt idcirco meritò

lege

lege humanâ talis cōtractus possit prohiberi; nā res probabiliter malæ aut periculosa iure interdici possunt, etsi nō evidenter sint malæ, sed quâdam subtilitate defendi queant, quâvis defacto talis prohibitio non extet.

*Ad 1. in Contrarium* distinguim. Ma. quâdocunque repetitur solutio vi primi contractus conceditur: quâdocunque vi contractus alterius repetitur. vt fit in proposito, negatur. *Ad 2.* negamus esse fictitiam commutationem præsentis pecuniæ cum absente actu nō habita; constat enim ex dictis sufficere, si habeatur virtute, seu haberi possit alterius fide & obligatione, vt fit in proposito; quomodo etiam equus emi potest ab eo, qui illum actu quidem non habet, habere tamen potest. *Ad 3.* negamus consequentiam, quia campfor non tenetur ad mutuuum, sed iustis commutationibus intēdit, esto simul ad suū lucrū atēdat. *Ad 4.* negamus antecedens, quia campfarius absolutè est voluntarius, cum per iniuriam à nullo compellatur ad talem modum contrahendi, esto secundum quid sit involuntarius, quatenus non faceret, nisi necessitas vrgeret. *Ad 5.* negamus Min. quia non ipsum debitum accipitur pro solutione sed obligatio fidei Campfarij ad soluendum, licet iste nitatur spe alienæ solutionis.

XXXVII. *Eustasius Sacerdos religiosus post peractum Sacrificium in templo accipit secum ab altari*

altari sacram Hostiam ab alio Sacerdote consecratam, ut hanc inde ad infirmum in Monasterio deferat, antequam sacras vestes exuat. Post peractam autem ibi Communionem infirmi aduertit, fuisse adhuc modicas reliquias sacrae Hostiae in patena relictas. Queritur. Quid cum istis Eustasius faciat?

Videtur sumere non posse, sed debere vel alteri relinquere Sacerdoti in proximo Sacro absumendas, vel ad Sacrarium referre. Ita Suarez, Vasquez, Coninck, Layman, Lugo, Diana, Arriaga de Eucharist. D. 44. n. 51. & communiter alij. Rationem dant, quia illae particulæ non spectant ad Sacrificium ab Eustasio inchoatum & iam peractum. Ergo non habet jus illas sumendi non ieiunus. Confirmatur, si potest Eustasius sumere has reliquias, posset etiam sumere totam sacram Hostiam, si illam infirmus ob morbum subito ingrauescentem non amplius potest accipere. Atqui hoc nemo admittet. Ergo &c.

Resp. 1. Si Eustasius adhuc in altari post ablutionem sumptam aduertisset in patena fragmentum sui Sacrificij siue magnum siue paruum, etiam non ieiunus sumere illud potuisset. Ita ex communi Arriaga D. cit. n. 49. Ratio est, quia hoc fragmentum pertinet ad idem Sacrificium, ad quod consummandum habet jus Eustasius. Idem sentiendum, si aduertisset finitâ Missâ; imò postquam alios, licet multos communicasset.

Resp.



Resp. 2. Si Eustasius iam in Sacristia sacris tamen vestibus adhuc indutus aduertisset prædictum fragmentum sui Sacrificij, sumere etiam potuisset. Ita plures post P. Granadum in 3. Part. contr. 6. Tr. 10. disp. 8. n. 11. Ratio est, quia adhuc iudicatur non absoluisse totaliter Sacrificium. Quod si sacris vestibus iam fuisset exutus, fragmentum illud vel ad Sacramentum reportare, vel alteri Sacerdoti post ipsum celebraturo reseruare debuisset, nisi absque irreuerentia neutrum horum obseruari possit; tunc enim dicitur ratio, vt potius à non ieiuno sumatur, quàm irreuerenter quocunque in loco relinquatur.

Resp. 3. Eustasium particulas sacrae Hostiae ab alio Sacerdote consecratae post communionem infirmi in patena deprehensas probabiliter adhuc sumere posse. Ita Marchinus de Sacram. Ordinis Tr. 3. p. 3. c. 3. n. 19. Tamburinus de expedita commun. c. 2. §. 8. n. 38. & cum Palao Tom. 4. Tr. 21. D. vnic. pu. 13. n. 20. plures in hanc opinionem valde inclinant. Ratio est. Tum quia omnes Sacerdotes ab vno eodemque Christo sunt quodammodo vnus huius Minister: sicut etiã vnum est veluti specie Sacrificium. Ergo sicut ex hoc fundamento Sacerdos ieiunus potest sumere Hostiam à se consecratam & simul aliam ab alio prius præconsecratam, ita etiam poterit sumere reliquias quaslibet post Missam repertas. Tum quia  
diffi.

difficile est discernere, an illæ reliquiæ post ablutionem inuentæ sint ex præconsecratis ab alio, an seipso. Ergo non præsumitur Ecclesiæ voluntas, vt tam anxie hîc Sacerdotes hæreant.

Resp. 4. Eustasium easdem reliquias non posse dare infirmo, si illas, postquam iste iam communicauit, primùm reperiat, Ita ex communi. Fagundez de 3. *Præcept. Eccles. L. 3. c. 5. n. 31.* saltem cum intervallo. Ratio est, quia iste sic bis communicaret. Quod etiam dicendum videtur, etiamsi infirmus ille foret Sacerdos; quia in hoc casu habet se instar Laici sub vna specie communicantis & extra ministerium sacrificij,

Resp. 5. Si infirmus, ob vim morbi inopinato auctam, sumere amplius nequeat sacram hostiam ad se delatam, non posse eam sumere Eustasium, sed debere reportare ad Sacrarium. Ita ex communi Arriaga *n. 50.* Quia illa sacra Hostia in rigore & materialiter non est reliquia seu fragmentum, etiamsi ab ipso Eustasio fuisset consecrata, Ergo facultas illa sumendi reliquias post ablutionem non extenditur ad illam.

Atque ex his patet etiam ad rationes in contrarium; tamen enim illæ particulæ non spectent ad Sacrificium ab Eustasio inchoatum iuxta omnem rigorem, suo tamen modo spectant, in quantum scil. vterque Sacerdos est

est quasi vnus Christi Minister: & vnum vbi-  
que velut specie Sacrificium existit.

XXXVIII, Galation & Episteme illustres  
persona sponsalia contraxerunt, & post tres ab hinc  
hebdomades nuptias indixerunt celebrandas; inte-  
rea autem temporis occultum deprehendunt impe-  
dimentum dirimens intercedere: at nuptia absq;  
gravi incommodo ac periculo vltra præfixum illud  
tempus differre non posse videntur. In hac mentis  
anxietate querunt ex Confessario, quid factu opus,  
an ab Episcopo, vel ipso Papæ petenda dispensatio?  
& quia intelligunt, non illum, sed hunc duntaxat  
dispensare posse, statim cursorem ad eum expediunt,  
qui Romam delatus mox rescripsit intra triduum  
haud dubiè dispensationem à Papa impetrandam,  
quo responso accepto, & elapso iam triduo cele-  
brant nuptias. Queritur 1. An Episcopus in tali  
casu dispensare possit? 2. An nuptia in hoc casu  
rectè celebrata sint?

Videtur Episcopus in hoc casu dispensare  
non posse. Ita P. Layman, L. 5. Tr. 10. Part. 4.  
c. 6. in fine. Et L. 1. rr. 4. c. 22. n. 4. vbi ait,  
solum Sanchez L. 2. D. 4. n. 7. cunctabundū  
& nullius Doctoris autoritate nixum in cō-  
trarium propendere. Nuptias etiam ante di-  
spensationem certò cognitam invalidè & illi-  
citè fuisse celebratas, præter alios docent  
Vasquez 1. 2. D. 156. n. 30. & Suarez L. 8. de  
leg. c. 15. num. 26. Ratio illorum est, quia præ-  
sumi non potest, mentem Pontificis dispen-  
santis

santis esse, ut dispensatio valorem suum habeat, antequam dispensatio certissimâ cognitione innotescat, quia alioquin ministraret occasionem abutendi dispensatione.

Resp. 1. Episcopum in casu præsentis & urgente necessitate dispensare posse. Ita præter Sanchez *cit.* Basilus Ponce l. 8. c. 13. n. 6. Salas de legib. D. 20. s. 3. Gasp. Hurtado D. 26. diff. 2. n. 7. Palao de sponsalib. D. 4. pun. ult. §. 1. n. 9. Dicastillo Tr. 10. de Matr. D. 8. n. 56. & plures apud hos relati. Ratio est, quia Episcopis conceditur facultas dispensandi in hisce impedimentis post contractum iam matrimonium, ut fatentur ipsimet Aduersarij, siquidem commune Reipubl. Christianæ bonum, animarumque salus exigit, ne urgente necessitate homines salutari remedio destituantur. Atqui ante matrimonium contractum urgere eadem necessitas dispensationis potest, ut supponitur in præsentis, & varios alios casus afferunt citati Authores, quos iustum pondus & robur habere, contra Auersum ostendit breuiter Dicastillo *loc. cit.*

Resp. 2. Nuptias inter Gallationem & Epistemen validè esse celebratas post responsum Româ allatum de dispensatione intra triduum certò impetranda, si postea intelligatur eo tempore à Papa dispensatum fuisse. Ita Sotus in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. Sanchez l. 3. de Mat. D. 36. n. 6. & alij. Ratio est, quia com-

mune est omnibus donationibus, gratijs, & priuilegijs, vt cum vnus postulauit per se vel per suum procuratorem, quamprimum alter consensum præbuit, donatio vel priuilegium suam vim & robur accipiat, antequam postulanti innotescat, propterea, quod iam ante suum consensum dederat. Hinc probabile videtur, quod in raro casu, si nimirum ex vna parte magna vrgeat necessitas, nuptias celebrandi & diu non differendi: ex altera verò parte moraliter certum sit, dispensationem à Papa iam datam esse, posse etiam licitè celebrari nuptias (& in præfenti celebratas fuisse) si impedimentum occultum sit, vel omne absit scandalum.

Ad rationem in contrarium dicimus, magis credendum esse, Papam dispensantem velle, vt dispensatio à se concessa statim valeat propter id, quod per se & suapte naturâ illi inest, quàm vt non valeat propter id, quod per accidens aliquando coniunctum esse possit.

XXXIX. *Fugatius adolescens Pragensis in Italiam à parente missus Mediolani incipit amare puellam, quam etiam in Coniugem accepisset vel Mediolani vel Praga, nisi impedimentum ab vtriusque parentibus timuisset. Simul ergò abierunt Auguslam Vindelicorum, & aliquantulum ibi morati coram Parocho & Testibus contraxerunt. Queritur, Verum matrimonium istud sic validum?*

Videtur

Videtur non esse validum. Ita Pet. de Ledesma de Mat. Q. 45. art. 5. pun. 3. Henriquez l. 11. de Mat. c. 3. num. 3. & præter alios Rota in decis. nouiss. 643. n. 2. & 3. volum. 1. Ratio est, quia habitantes alicubi animo redeundi ad propriam domum, tamen si diuturno tempore ibi habitauerint, hospites tamen sunt, & peregrini, l. 1. §. hac autem verba. V. hospes. ff. de his, qui deiecerunt. vbi hospes dicitur non habens domicilium. Atqui hospites & peregrini non possunt contrahere coram Parocho illius Parochiæ, in qua peregrinantur, vt communiter docent Theologi. Ergo, &c.

Resp. Omnino validum esse Matrimonium istud, si Augustam venerint animo habitandi ibi per maiorem anni partem; esto forte istud postea non contigerit. Ita Sanchez l. 3. de Mat. D. 23. à num. 12. Præposit. in 3. part. q. 4. de Matr. clandestino. dub. 9. n. 58. Palao Tr. 28. de Sponsalib. & Matr. D. 2. pun. 13. §. 9. n. 9. Diana P. 11. Tr. 3. Resol. 34. & plures ab his relati. Ratio est, quia tamen si ex tali habitatione proprium domicilium non acquiratur, tamen acquiritur quasi domicilium, vt conueniri inde aliquis possit. l. heres absens. §. proinde. in fine. ff. de iudicijs. Sed habitatio constituens quasi domicilium sufficit, vt per se Parochianum constituat, sicut patet tum ex argument. c. fin. de parochijs. tum ex recepta praxi quoad Scholasticos in Vniuersitatibus, Mercatores

catores in emporijs, Mercenarios in elocatione laborum suorum &c. hisce quippe solus illius loci Parochus Eucharistiam in Paschate, & Extremam Vnctionem in agone ministrat, quod signum est, illorum Parochum esse censendum Ergo &c.

*Ad rationem in Contrarium* negamus Maiorem, & dicimus cum Sanchez *loc. cit. n. 19. m. l. 1. cit.* domicilium habentem non sumi ibi strictè, sed vt distinguitur contra hospitem & peregrinantem. Cæterùm Basil. Pontius *de Mat. l. 5. c. 15. §. 1.* negat Min. ratus, Parochū illius Parochiæ, in qua etiam per transitum habitas, seu peregrinaris, esse tuū Parochum, & matrimonio iungere te posse. Verùm hoc communiter alij reiiciunt; nam quod Parochus peregrinantibus Confessionis & Eucharistiæ Sacramenta ministrare possit, idest ex priuilegio Pontificis in fauorem peregrinorū, non autem ex eo, quod proprius ipsorum sit Parochus; vnde nulla inde valet argumentatio.

XL. Georgius Bavarus à ciue Passauiensi emit equū & doliū vini, pro illo spōdet quinquaginta florenos, pro huius singulis amphoris singulos aureos intra mensem soluturus & vtrumque auēcturus. Interea temporis nescio quo infortunio equus mortuus concidit: doliū autem vini fractum & omne vinum effusum est, nullo amphorarum numero  
adhuc

*adhuc inito. Queritur, Quis damnum istud ferat, Emptor, an Venditor?*

Videtur ad venditorem pertinere. Ita ex communi Layman *L. 3. Tr. 4. c. 17. §. 2. n. 12.* Probat. Tū ex textu *in l. bona fides. ff. de actionibus empti.* Vbi dicitur *resoluto contractu ex vna parte resolui eundem ex alia.* Tum quia res, quæ perit, domino suo perit. Atqui emptor non est dominus rei ante traditionem. Ergo nec huic, sed venditori perit. Tum quia iniustitia fieret emptori, si interitum ferre deberet rei non suæ. Tum quia si interitum equi ferat emptor. Ergo & iacturam dolij vini effusi, cum venditio huius etiam à corpore incipiat & tamen interitum rei mensurandæ ad venditorem spectare cōmuniter docent Doctores.

Resp. 1. interitum equi ad emptorem spectare, ac proinde hunc teneri solvere 50. florenos perinde ac si equus ei traditus fuisset. Ita habetur *Instit. de emptione & venditione §. cū autem. iuncta Gl. L. quod saepe. §. si res. ff. de contrahenda emptione. & L. 1. ac seqq. C. de periculo & commodo rei venditæ.* Tum quia sic censetur esse mens contrahentiū, cū aliter cōuentum non fuerit. Tum quia eius debet esse incommodum, cuius est commodum rei venditæ. Sed hoc spectat ad emptorem iuxta *cit. iura.* Ergo &c. Resp. 2. interitum vini effusi ad venditorem spectare, adeoque emptorem nihil huic solvere pro illo teneri. Ita ex



communi Dedicastillo de Iust. Tr. 9. D. 1. n. 108. Probatum. Tum *excit. L. 2. Cod. de periculo & commodo rei vendita*, & alijs iuribus. Tum quia emptio & venditio similium rerum fit tacite sub hac conditione, *si mensuretur*. Ergo si pereat ante impletionem huius conditionis, venditori perit, cum ante contractum perfectum & absolutum pereat, ut bene Huradus de Contr. D. 2. *difficul. 12.*

*Ad 1. in Contrarium* dicimus cum Gomez *in eit. legem*, Molina *Disp. 366.* & alijs, id intelligi, quando fit resolutio per dispositionem legis, Principis, vel sententiam Iudicis, quod in proposito non fit. *Ad 2.* distinguimus Maiorem; res quæ perit, Domino suo perit, abstrahendo à iuris dispositione, esto: attendendo illam, negamus; nam volunt leges omnia rei commoda & incommoda in venditione rei determinatæ pertinere ad emptorem, qui etiã esset rei dominus ante traditionem, nisi itidem iura hanc traditionem requirerent, ut notat Molina *cit. illa dispos. 366. n. 11* *Ad 3.* negamus emptori fieri iniuriã, cū etiã eidem commoda permittantur; æquissimū autem est, ut idem sentiat & comōdū & incomōdū. *Ad 4.* negamus consequentiam, quia licet venditio incipiat à corpore, id est, totum simul vendatur, pretium tamen non exprimitur vnicum, sed singuli aurei pro singulis amphoris, quod perinde est, ac si venditio inciperet à mensura  
aut

aut quantitate certa, vt præter alios notat ipse Layman *loc. cit. num. 3.*

XLI. Gertrudis rusticana fœmina accedit ad Confessionale, & ait, dolere se valdè de peccatis commissis, & offensa DEI, verèque emendare se velle, interim nullum peccatum etiam veniale in specie exprimit, vel Confessarius examine deprehendit. *Queritur. An possit Sacramentaliter absolui?*

Videtur non posse. Ita omnes ferè Thomistæ, & alij apud Dianam 3. P. Tr. 3. Resol. 1. Tū quia Trident. Sess. 14. c. 5. requirit talem Confessionem, per quam status confitentis agnoscat. Atqui hæc non est talis. Ergo &c. Tū quia Sacramentum Pœnitentiæ requirit determinatam materiam. Hic autem nulla talis datur. Ergo &c. Tum quia absolutio Sacramentalis necessariò debet saltem super aliqua peccata cadere directè. Sed in casu hoc non fieret istud. Ergo &c. Accedunt his Authoribus Suarez de Pœnit. D. 23. sect. 1. Coninck de Pœnit. D. 7. n. 6. Lay. l. 5. Tr. 6. c. 8. n. 8. & alij. Quatenus putant, talem posse quidem absolui speculatiuè, non tamen practicè.

Resp. Gertrudem Sacramentaliter absolui posse tam speculatiuè, quàm practicè loquendo. Ita Reginaldus, Henriquez, & alij, quos citat & sequitur Diana *loc. cit.* quibus addo Card. de Lug. de Pœnit. D. 17. n. 8. & P. Dica-  
stillo de Pœnit. D. 9. n. 744. et si Authores isti

ferè loquantur de infirmo. Probaturs respon-  
sio nostra absolutè. Tum quia, qui solùm me-  
minisset in genere, se fecisse aliquod peccatũ  
mortale, & hoc ita confiteretur, deberet ab-  
solui, vt docet S. Thom. in 4. D. 21 q. 2. art.  
1. & 2. Ergo etiam absolvendus est, qui ab-  
solutè confitetur, se peccasse, licet in specie ob-  
ruditatem nihil exprimere valeat. Tum quia  
integritas confessionis quoad speciem, nume-  
rum, & circumstantias non est ita necessaria,  
quin iustis de causis sæpè possit omitti. Ergo  
à fortiori ob impotentiam vndecunq; prove-  
nientem, quã pœnitens non possit nisi in com-  
muni explicare peccatum, sufficiet ea confes-  
sio, vt censeatur formaliter integra. Tum  
quia si Gertrudis sic disposita absolui neque-  
at. Ergo non est obligata ad Confessionem  
toto anno faciendam, cùm hæc Confessio non  
percipiatur nisi in ordine ad absolutionem Sa-  
cramentalem. Atqui hæc sequela non est ad-  
mittenda. Ergo &c.

*Ad 1. in Contrarium* dicimus, Concilium re-  
quirere tam integram Confessionem, quàm  
hic & nunc à pœnitente fieri potest, qualem  
etiam facit Gertrudis, ex eaque status huius  
sufficenter cognoscitur. *Ad 2. Negamus Mi-  
norem.* Nam dolor Gertrudis & Confessio,  
quæ sunt intrinseca materia Sacramenti, sunt  
actus singulares & omnino determinati, ver-  
santurq; circa peccata determinata, quæ ipse  
pœni-

pœnitens commisit, licet ob ruditatem suam exprimere nequeat. *Ad 3.* Directè in hoc casu remitti offensam diuinam, in qua omnia peccata in specie conveniunt, ideoq; etiam remittuntur aliquo sensu indirectè, licet postea explicitè confitenda sint, si in specie occurrât, & hoc sufficit ad essentiam Sacramenti. Ad Suarez, Coninck, & Lay: dicimus, si speculatiuè verum est, Gertrudem absolui posse, vt ipsi concedunt. Ergo etiam practicè. Nam in re morali tunc solum dicitur aliquid speculatiuè verum, & non practicè, quando id, quod in speculatione consideratur, non potest exhiberi in praxi, quin aliqua contingat variatio: at verò quando omnino invariatum potest reduci ad praxin eâ ratione, quâ consideratur in speculatione, vti fit in præsentî, si speculatiuè verum est, practicè quoque verum censerî debet.

XLII. *Georgianus nuper triduo ante diem S. Iosephi ex errore vincibili sibi persuasit, prædictum diem S. Iosephi Monachij in Bauaria non celebrari festiuè, cum tamen iussu Serenissimi & Reuerendissimi Principis & Episcopi Frisingensis hoc anno festiuus ex omnibus Cathedralis fuerit iam indictus; adueniente igitur ipso die Iosephi omittit Sacrum, nullâ tunc amplius habens cogitationem de festo. Queritur. An peccarit, non quidem actu, sed habitu agens contra conscientiam?*

Videtur peccasse. Ita Rodriguez Tom. I.

*Sum. c. 71. n. 2. Medina 1. 2. q. 19. art. 6. vers. sed numquid. & plures alij. Quia iudicium illud seu persuasio vincibiliter errans non fuit reuocata. Ergo moraliter manere, & contra illam agi censetur.*

*Resp. Georgianum non peccâsse. Ita Azor Tom. 1. Infit. Moral. l. 2. c. 8. q. 12. Sanchez. l. 1. in Decal. c. 11. n. 7. Vasquez, Salas, Præposit. & alij. Ratio est, quia omissio Sacri non potest oriri à voluntate, & persuasione præterita, cū neutra harum nec in se, nec in effectu amplius existat. Ergo non potest ab illis malitia aliqua in omissionem deriuari.*

*Confirmatur. Si actus censetur manere moraliter, & denominare opera subsequen-  
tia, dum non retractatur, ergo infidelis, qui omnia sua opera in honorem idoli retulisset, peccaret semper deinceps peccato infidelitatis, quod est absurdissimum. Non obest, tempus præcessisse, vt ait Medina; nam dilatio præcisè non potest auferre perseuerentiã moralem persuasionis & voluntatis.*

*Atque ex his patet etiam ad rationem in oppositum.*

*XLIII. Georgia famula nullam quidem peculiarem curam domûs gerit sibi commissam, interdum tamen mittitur ad penum; quoties autem ipsa intrat, simul illuc irrepit Georgius eiusdem heri famulus, & aliqua inde non exigui pretij furtim aufert. Nunc iste ausugit: illa verò anxia ha-*  
ret,

ret, quod furta ipsius manifestando non impediue-  
rit. *Queritur.* Vtrum teneatur ad restitutio-  
nem?

Videtur non teneri. Quia famulus, cui spe-  
cialiter non est commissa cura rerum, non te-  
netur restituere pro furtis non impeditis, siue  
illa facta fuerint ab alijs confamulis, vt ex  
communi tradit Layman *L. 3. Tr. 2. c. 5. n. 5.*  
siue ab externis, vt docent Azor *Tom. 3. l. L. 8.*  
*c. 13. q. 8.* Bonacina *Disp. 1. de Restit. in genere.*  
*Q. 2. pun. 11. n. 7.* & alij. Atqui Georgiæ non  
est specialiter commissa rerum domesticarum  
cura. Ergo &c.

Resp. teneri Georgiam ad restitutionem  
prædictorum damnorum. Nam ex commu-  
ni Authorum apud Dedicastillo *Tr. 2. de Iust.*  
*D. 4. n. 143.* tenetur famuli restituere damna ab  
alijs illata, & ab ipsis non impedita, si illis cu-  
stodia rerum est commissa. Atqui Georgiæ  
cura penûs pro eo tempore, ad quod acce-  
pit clauem, fuit commissa, vt bene advertit  
Diana *P. II. Tr. 6. R. 6.* Ergo &c. Cæterum ve-  
rum quidem est, famulum, cui rerum cura pe-  
culiariter non est mandata, non teneri ad re-  
stitutionem damni, quod alius confamulus  
fecit, & ipse non impediuit: attamen tenetur  
ad restitutionem damni eius, quod fecit ex-  
ternus, & ipse similiter nõ impediuit, vt recti-  
tenuerunt P. Navar. *Lib. 3. de Restit. c. 1. n. 224.* So-  
lus *L. 4. de Iust. q. 7. art. 3.* Lessius *L. 2. de Iust. c.*

13. n. 37. Card. de Lugo *Disp. 19. de Iust. n. 105.*  
 & plures apud hos relati, quia semper videtur  
 quivis famulus pro aliqua cura domus con-  
 stitui, & hæc cura illi committi, licet nõ cum  
 speciali vigilantia; certè communis hominũ  
 sensus est, eos magis teneri ad custodiam re-  
 rum domini sui, quàm exteros nullã merce-  
 de ad servitia domestica conductos.

Atque sic patet quoque ad rationem in con-  
 trarium.

XLIV. *Gentianus Aulicus sibi suisque honestũ  
 victum & vestitum comparat: à conuiujs, visca-  
 tionibus, itineribus sumptuosus se abstinet: exiguo  
 famulorum & equorum obsequio vititur, idque  
 propterea, quod aliàs ultra vires & facultates de-  
 bita contrahere debeat, quibus nunquã sit soluen-  
 do. Interim tum à Principe, tum ab alijs Aulicis  
 vexatur, instigaturque, vt tempori seruiat, & pro  
 statu suo se more aliorũ gerat. Queritur. Virum  
 Gentianus in victu, vestitu, famulatio, cõuiujs &c.  
 maiores sumptus facere possit, certus moraliter, se  
 inde debita contracturum, quibus postea non sit  
 soluendo?*

Videtur posse. Tum quia ex communi  
 Theolog. licitè quisque se gerit pro statu suo.  
 Tum quia ad conseruationẽ statũs potest quis  
 retinere pecuniam numerandam creditori, &  
 differre solutionem, vt docent expressè *Lelli-  
 us l. 2. de justit. e. 16. n. 26.* & alij apud hunc re-  
 lati. Cur ergo non possit propter eundem sta-  
 tum

tum (conuenienter scilicet huic segerendo) accipere mutuò pecunias, cōducere famulos, aliosque contractus inire, & differre itidem solutionem? Tum quia non statim ex eo redditur aliquis impotens satisfacere creditoribus, si more aliorum pro suo se statu in victu, vestitu, & aliis gerat; fortè fauebit fortuna, vbi nondum apparet. Tum quia quilibet potest Gentiano vendere aliqua, interueniente grauiore causà, etiamsi cedat in præiudicium creditorum priorum, vt docent *Rebellus l. 8. q. 16. sect. 3. n. 8. & 9. Sanchez l. 1. in Decal. c. 7. n. 18. & alij*. Ergo ipse etiam potest emere, & conducere varia, etiamsi videat periculum proximum impotentix suæ, cùm causa grauis minimè desit, nimirum obseruatio statûs sui, redemptio amaræ vexationis à Principe alijsque aulicis &c.

Resp. Gentianum Aulicum in Victu, vestitu, famulatio &c. non posse licitè maiores facere sumptus, si moraliter certus sit, debita inde se contracturum, quibus postea non sit soluendo. Ita ex communi aliorum *Cardin. de Lugo de Iustit. D. 20. n. 106.* Ratio fundamentalis est, quia qui moraliter certus est de sua impotentia soluendi creditoribus, aut de proximo huius impotentix periculo, non potest novum pactum & contractum inire, quo debitum novum contrahat in damnum priorum Creditorum resultans. Atqui Gentianus est



est moraliter certus de hac impotentia aue proximo eius periculo. Ergo nō potest sumptuosius vivendo pacta & contractus novos inire in detrimentum priorum Creditorum. Confirmatur varijs simili bus casibus. Nam 1. Vir non potest ducere vxorem indotatam, quando ipse non est soluendo Creditoribus, vt docet P. Dicastillo *L. 2. de Iustit. Tr. 2. D. 11. n. 85.* quia scilicet ad alendam illam deberet novum debitum contrahere in damnum aliorum. 2. Vxor non potest aliquas res, quarū vir dominium habet, accipere vltra congruam sustentationem, si sciat inde Creditores passuros, vt docet Vasquez *in opusc. de restitut. c. 11. n. 79.* 3. Filij, qui suo se labore alere absque dedecore valent, non possunt velle sustentari à parentibus, quos nōrunt Creditoribus non esse soluendo, vt docet Navarr. *c. 17. n. 269.* 4. Famuli inseruientes alicui, quem vident impotentem fieri ad satisfaciendum Creditoribus, non possunt aliquid ab eo accipere, aut acceptum retinere, nisi fortè tantūdem acquisierunt Domino inseruiendo, vt docet Molin. *D. 330 n. 7.* Ergo etiam Gentianus non potest sumptuosius vivere, si inde moraliter sciat fore, vt non sit soluendo Creditoribus; imò nemo advertēs eandem impotentiam, potest ipsi cooperari iuxta dicta.

*Ad 1. in Contrarium distinguimus; quilibet potest se iuxta statum suum gerere, quantum fieri*

fieri potest absque damno tertij, Concedimus: secus, negamus. *Ad 2.* Quidquid iam sit de antecedente, negamus consequentiam. Quia minus est, post factam impotentiam aliquamdiu solutionem differre, quàm eam primùm a Creditore auferre, & hunc iure suo spoliare, ut docet ipse Lessius *loc. cit. n. 27.* *Ad 3.* dicimus, quidquid, metaphysicè loquendo, contingere possit, sufficere in proposito, quod Gentianus hanc impotentiam moraliter futuram putet. *Ad 4.* In tali impotentia soluendi posse Gentiano tantùm vendi necessaria ad vitæ sustentationem, non autem superflua ad luxum, vt docent citati Authores; vnde nec ipse in periculo morali eiusdem impotentiae pacta & contractus potiùs ad ostentationem, quàm honestatem statûs inire potest.

*XLV.* *Gustaus tabachi vsui ita immodicè est deditus, vt simul ac manè euigilat, eũ vsurpet, nec horam dein per totum ferè diem elabi sinat, quin eundem siue in folio, siue in fumo, siue in puluere per nares, aut os sumat, & tamè post illum sic sumptum frequenter S. Eucharistiam accedit. Queritur. Vtrum sit verè ac naturaliter ieiunus?*

Videtur non esse, ideoque peccare mortaliter. Ita Lezana in *Summa Quest. Regul. Tom. 3. V. Eucharist. quoad Regulares n. 18.* & Antonius de Leone apud Dianam P. 5. Tr. 13. Resol. 9. Mouetur. Tum autoritate duorum Concil. Prouinc: Limensis III, & Mexicani III. in quibus

bus vsus tabachi ante Communionem prohibetur tum Laicis, tum Sacerdotibus. Tum quia tabachus verum est nutrimentum, vt testantur non pauci ex sola eius sumptione sustentati. Tū quia est medicina, sub hoc enim prætextu, vt scilicet superfluos humores pel-lat, noxios absumat &c. communiter adhibetur. Tum quia de folio & puluere semper aliquid in stomachum traijcitur.

Resp. Gustavum consueto vsu tabachi nō violare ieiunium naturale, ideoque nec arceri inde à Sac. Communionem. Ita Card. de Lugo, *in Resp. Moral. L. 1. dub. 9. Granad. in 3. Part. D. Thom. Contr. 6. Tr. 10. D. 8. n. 4. Marchant. in Resolut. Pastor. Tr. 4. in Append. ad cap. 2. Præpositus in 3. part. Q. 8. art. 8. dub. 1. n. 39. Antonius de Escobar in Theol. Morali Tr. 7. Exam. 6. c. 5. n. 63. & plures alij, quos citat & sequitur Diana loc. cit. & part. 8. Tr. 8. Resol. 3. Ratio fundamentalis desumenda videtur ex vniuersali regula ad plures casus dissolven-dos, vtrum in ijs violetur naturale ieiunium, impediaturque Sac. Communio; quam regu-lam P. Dicastillo Tom. 1. de Sacram. Tr. 4. D. 9. n. 278. tradit in hunc modum. Tunc Ecclesia prohibet alicui Communionem propter violatum ieiunium naturale, quando id, quod præcessit, mo-rali estimatione censetur comestio aut potatio; quod tunc contingit, quando & quantitas & qua-litas materix, & modus traijciendi in morali esti-matione*

*matione sufficit, vt quis Comedisse & Potâsse cen-  
setur. Atqui Gustavus in morali Ecclesiæ æ-  
stimatione non censetur comedisse aut potâs-  
se, quando absque intentione comedendi &  
bibendi, vel solum folium tabachi mandit de  
tibus, idque contritum mox expuit: vel quã-  
do solū pulverem tabachi per nares attrahit:  
vel quando solum fumum tabachi respirando  
excipit &c. Ergo Ecclesia non prohibet ei  
Sac. Communionem propter violatum ieiu-  
nium naturale. Dixi in responsione consueto  
tabachi vsu; si enim aliquis tabachi folium in-  
os admissum deglutiret integrum, is vtique  
hoc modo insueto vsurpandi tabachum vio-  
laret ieiunium, cum in morali Ecclesiæ iudi-  
cio comedisse cenferetur.*

*Ad 1. in contrarium dicimus, Concilia illa,  
cum Prouincialia solum sint, non obligare  
extra Prouincias illas, in quibus habita sunt.  
Deinde prohibuerunt sumptionem tabachi  
tantum ratione vomitus, quem in partibus il-  
lis prouocabat, in his autem nullum illius fa-  
cit periculum. Ad 2. & 3. negamus, tabachum  
vel nutrimentum, vel medicinam esse veram;  
historijs autem adduci solitis non facile esse  
credendum, notat Dandinus de anima. l. 2.  
tom. 53. digress. 25. Sed demus, tabachum esse  
& nutrimentum & medicinam, modus ta-  
men sumendi non est talis, vt quis morali Ec-  
clesiæ iudicio comedisse aut potâsse dici pos-*

fit. *Ad 4.* Negamus semper aliquid in stomachum trajecti, quod enim dentibus teritur, mox iterum exspuitur: fumus ore exceptus per nares statim exit: quod per nares attrahitur, non necessarid in stomachum traicitur; sed esto, aliqua etiam traiectione in stomachum fiat, ea tamen non fit eâ intentione & modo, vt inde homo morali iudicio comedisse aut potâsse censerî queat, sicut rectè notat Lugo *loc. cit.*

XLVI. *Hadrianus Iudex inter partes litigantes Caspium & Caspianum aduertit causam huius probabiliorẽ, quàm illius: & tamen pro Caspio fert sententiam idèd, quod causam huius saltem probabilem agnoscat. Queritur. An bene?*

Videtur bene pronuciâsse. Ita Medina, Salas, Sayrus, Dicastillo & alij, quos referunt & sequuntur Palao *Tr. v. D. 2. pun. 10. n. 7. & Diana p. 2. tr. 13. resol. 3. & p. 9. tr. 8. resol. 42.* Mouentur. Tum quia eoipsò, quod opinio sit probabilis, est conformis rectæ rationi. Ergo tutâ conscientiâ quis eam sequi circa causarum ciuilium decisionem potest. Tum quia Confessarius tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta propriâ probabiliore. Ergo Iudex etiam in decidendis causis potest initi sententiæ probabilis, relicta probabiliore.

*Resp.* Hanc doctrinam satis quidem credibiliter tradi, probabilius tamen esse, Iudicem

rem non posse causam decidere ex sententiâ probabili solùm, relictâ probabiliore, aded- que malè fecisse Hadrianum. Ita Valent. Bannez, Azor, Becanus, Filliuc. Malderus, Sanchez *l. 1. in Decal. c. 10. n. 7.* Layman *l. 1. Tr. 1. c. 5. §. 3. n. 16.* Tanner *Tom. 3. D. 4. quest. 4. n. 28.* & post plures alios Arriaga *Tom. 3. Theolog. D. 24. n. 27.* bene ostendens à *num. 37.* eandem esse rationem Iudicis supremi, & inferioris; inter quos nonnulli distinguunt. Ratio est. Tum qui a Iudicis est, secundum iura sententiam dicere. Ergo cui ipsa iura omnibus spectatis plus favere intelliguntur, etiâ ipse favere debet. Tum quia officium Iudicis est, suum partibus ius tribuere secundum merita causæ. Ergo cum in proposito Caspianus, cuius causa est probabilior, plus præ Caspio mereatur, & ille ius habeat ad rem, de qua agitur, Hadrianus Iudex Caspiano causam adiudicare debet.

*Ad 1. in oppositum* distinguimus consequens, & concedimus consequentiam ceteris partibus: secus negamus; in proposito autem obstat peculiaris ratio officij, quò minùs Iudex tutò possit in causarum decisione sequi sententiam probabilem, quando pro altera parte stat probabilior. *Ad 2.* Negamus consequentiam, nam sicut sacrum tribunal in alijs multis recedit à profano, ita etiam in hoc, quod illud cum solo reo agat, eique, quan-

tum fieri potest, faueat: istud verò inter partes sententiam dicat, & secundum iura rigidè procedat; Vnde facilè apparet, aliam esse rationem Confessarij, aliam Iudicis.

XLVII. Hemmingus Parochus die 1. Novemb. post Vesperas ad Nobilem quendam in sua Parochia evocatus, vt altero die in arce celebraret, ita ibi colloquijs & recreationibus distrahitur, vt præter sacrum nihil penitus pro altero die (2. Novemb. quo etiam officium Defunctorum recitandū) culpabiliter oret. *Quæritur* 1. Vtrum peccet mortaliter, omittendo præcisè officium Defunctorum. 2. Si peccarit mortaliter, vtrum ex huius solū omissione teneatur ad aliquam restitutionem? 3. An duplex peccatum commiserit omittendo officiū & Octauæ omnium Sanctorum & Defunctorum?

Videtur Hemmingus mortaliter peccare omittendo præcisè officium Defunctorum. Ita Suarez Tom. 2. de Relig. L. 4. c. 25. n. 8. & 9. & plerique alij, è quibus 24 citat & sequitur Dian. P. 4. Tr. 4. Resol. 243. Tum quia officium Defunctorum tali die ponitur cum officio maiori, & præscribitur dicendum in Rubrica, vt officium proprium illius diei. Tum quia commemoratio Defunctorū in Martyrologio legitur per nomen Festiuitatis, de qua officium diu. legi debeat. Tum quia saltem ex consuetudine recepta omnes hodie officium Defunctorum ex obligatione recitant, cui consuetudini, si derogari potest,

test, cuilibet alteri potest, nullaque amplius vim legis obtinuisse dicenda erit. Hinc ulterius sequitur, eum, qui omittit officium Defunctorum in die animarum, teneri ad restitutionem secundum 3. partem reddituum illius diei, cum spectet ad officium diuinum, & illius tertiam partem bene æquet: Item duo committi peccata, si etiam omittatur officium de octaua, cum hæc duo officia sint longè diversissima, esto vnum pensum pro vno die persolvendum constituent.

Resp. 1. Tametsi hæc sententia probabilissima in praxi omninò tenenda & suadenda sit, nonnullis tamè doctis RR, videri, Hemmingum omittendo præcisè officium Defunctorum non peccare mortaliter, cui opinio- ni favet Molfesius in Sum. To. 1. Tr. 5. c. 7. n. 57. & eandem defendit insignis quidam Theologus in resolutione casuum domestica. Probant hanc suam opinionem: 1. Quia Pius V. in Bulla Breuiario præfixa absolutè deobligat ad dicendum officium Defunctorum diebus in rubricis Breuiarij statutis, vbi nõ interstinguit inter officium Defunctorum dicendum 2. die Novemb. & dicendum aliis diebus. Ergo iuxta communem Regulam nec nos distinguere debemus. Probant. 2. Verba rubricæ, quibus indicatur officium Defunctorum pro 2. Novemb. non sunt præceptiua, sic enim sonant: post vespèras dicuntur



tur Vesperæ Defunctorum. Ergo ex illis nō habetur obligatio. Probant. 3. Ex sententia Grassij, Homoboni, & Vasquez apud Dian. *loc. cit.* Sacerdos non obligatur sub mortali ad dicendas priuatim Lytanas omnium Sanctorum in die Rogationum, & S. Marci, si processioni non interfuit, & tamen habet hoc consuetudo, & sub modo imperatiuo (qui tamen non nisi venialem obligationem importat) indicatur in rubrica. Ergo nec ad officium Defunctorum sic obligabitur.

Vnde duo deducunt. *Primum.* Hemmingum non teneri ad vllam restitutionem præcisè ob omissum officium Defunctorum. Hoc corollarium patet ex dictis. Eundem neque in contraria sententia obligari ex eo suadetur, quod iuxta commune axioma odiosa sint restringenda. Cùm ergo Pius V. nullam faciat mentionem restitutionis ex omissione huius officij, & loquatur de officio in plures horas distincto, quale non est officium Defunctorum, constitutio huius Pontificis circa restitutionem ex omissione Breuiarij non est extendenda ad officium Defunctorum omissum.

*Alterum.* Hemmingum omittendo tam officium maius, quàm Defunctorū, non committere duo peccata. Sequitur evidenter ex dictis, cùm omittendo officium Defunctorum nullum peccatum mortale committatur.

Posito

Posito autem, quod sub mortali ad hoc teneatur, adhuc non improbabiler dici posset, vnum tantum peccatum committi, omittendo vtrumque officium simul, quia ambo hæc habent se per modum unius pro tali die, sicut in maiori officio septem horæ omissæ reputantur per modum vnius ad vnum illud officium maius constituendum.

*Ad 1. in contr. ijdē RR.* dicunt, gratis asseri officium Defunctorum esse partem præcepti officij pro illa die, quomodo enim aliàs separari, & in alium diem reijci posset, sicut aliquando contingit? *Ad 2. in Martyrologio* indicari solùm laudabilem & piam consuetudinem Ecclesiæ circa memoriam pro Defunctis: non autem præceptum, aut formam orationis pro tali die, cùm absolutè & indiscriminatim, vt dictum, præceptum officij sit sublatum. *Ad 3.* hanc consuetudinẽ introductam esse ex devotione solùm erga animas, & desiderio lucrandi indulgentias, quas Pius V. in Bulla dictum officium recitantibus largitur: non autem animo obligationem inducendi, cùm enim hanc obligationem modò sustulerit Pius V. ad cauenda peccata, quomodo iterum inducere statim voluerit? Vnde aiunt, patere etiam discrimen inter hanc, & aliquas alias consuetudines.

Ita, inquam, respondent nonnulli docti RR. quorum doctrina mihi non displicet;

quia tamen in contrarium stat communissimus non tantum usus, verum & eruditorum sensus, eandem absolutè probabilem affirmare nondum audeo: penes Lectorem iudicium esto.

XLVIII. Herodius uxorem suam in adulterio fuisse cum vicino suo deprehensam, certò intelligit ex amicis suis, à quibus tamen inhibitus neutri illorum aliud infert malum, quàm quod rem ad Magistratum deferat, & vindictam postulet: imò uxorem correptam ad prædictorum amicorum preces in thalamum recipit. Non multis autem post diebus in conuiuio aliquo acerbè vexatur ab Herodiano adulterium vxoris exprobrante, vt inde irritatus è mensa surgat, rectàque ad ædes adulteri abiens eum nihil amplius mali suspicantem interficiat, & aufugiat. Queritur. Vtrum Herodianus in defectum Herodij ad restitutionem damni ex homicidio enati teneatur?

Videtur non teneri. Nam ex communi Authorum nemo tenetur ad restitutionem damni, qui non influxit in istud. Atqui Herodianus in proposito casu non influxit, Tum quia non fecit animo concitandi Herodium ad tale facinus. Tum quia non incidit eidem, tale malum ex sua vexatione secuturum, aut certè non nisi dubium occurrit damni inde fortè euenturi.

Resp. Herodianum teneri ad restitutionem damni, quod Herodius homicidio suo fecit, & non compensauit. Ita post D. Antoninum,  
Palu-

Paludanum, Syluestrum, vtrumque Nauar-  
rum, Rebellum & alios Dedicastillo *l. 2. de ju-  
stit. Tr. 2 D. 4. n. 107.* Ratio est, quod Hero-  
dianus suâ vexatione sit causa efficax damni;  
est quippe illa exprobratio instar consilij effi-  
caciter influentis in damnum, vt rectè Card.  
de Lugo *de just. D. 19. n. 90.* & alij. Nec re-  
fert, Herodianum non fecisse animo incitan-  
di ad tale facinus, imò etiam illum dubitasse  
æquali dubio, cum constet, ex hac ipsius ve-  
xatione damnum prouenisse; Nam esto, ex-  
cusetur à restitutione, quando æquale est du-  
bium, an concurrerit, an non? vt multi  
boni Authores volunt, non tamen excusatur,  
quando cooperatur cum dubio, an damnum  
subsecuturum sit, si reuerâ postea ex ipsius ir-  
risione ponatur, vt bene citati Doctores;  
quod dubiû non videtur abesse potuisse, cum  
nemo ignorare valeat, facilè quemuis acerbâ  
vexatione & exprobratione grauitè com-  
moueri. Quodsi tamen Herodianus omni-  
modam ignorantiam habuisset damni alicu-  
ius ex sua vexatione secuturi, tum concedit  
Dedicastillo *num. 108.* cum Rebello & alijs,  
eum tam à culpa, quàm onere restitutionis  
excusari, cum homicidium illud tunc pror-  
sus involuntarium eidem fuisset,

*Atque ex his patet etiam ad rationem in-  
contrarium.*

**XLIX.** *Ingen vir nobilis & aliàs timorata*

*Kk s*

*consci-*

conscientia, cum nuperis belli temporibus inopinatò ex famulo intelligeret, sex equos ab hostibus sibi ereptos, pecora alia abacta, & villam ac horreum incensum fuisse, in grauem blasphemiam erupit, cuius se postea in Confessione accusans ait, ad eam se non aduertisse, saltem affirmare se hoc certò non posse, additque in similia alia illicita verba non rarò se erumpere, & graues motus aduersus DEVM & rectam rationem frequenter pati absque aduertentia tamen saltem certa. Queritur. Vtrum Ingen per blasphemiam illam, aliasque prauas commotiones peccet?

Videtur peccare. Tum quia tales etiam blasphemiae inconsideratò prolatae puniuntur à Deo & hominibus; de Deo patet ex S. Greg. l. 4. Dialog. c. 10. vbi narrat, puerum septennio minorem (adeòque qui nullum adhuc rationis vsum habuit) à diabolo extinctum esse: de hominibus constat ex praxi, ab ijs blasphemos etiam ebrios (vbi itidem nullus rationis vsum) grauitè puniri. Tum quia par est ratio de alijs illicitis verbis & motibus, maximè si de illorù incogitantia sit dubium.

Resp. Ingenem per blasphemiam illam aliosque motus non peccare, si omnem rationis aduertentiam ita præueniant, vt præcognitæ malitiæ recordari planè non possit. Ita ex communi ferè Antiquorum iuxta & Recentiorum Vasquez 1. 2. D. 107. c. 3. Ratio à priori est, quia nihil potest esse malum, nisi  
secun-

secundum aliquam rationem malitiæ sit voluntarium ac liberum. Atqui quod nullo modo cognoscitur affectum malitiæ, sed omnem rationis aduertentiam præuenit, non potest secundum illam esse voluntarium. Ergo nec malum. Ma: & Min: necessariò deducuntur ex ipsis principijs Theologiæ Moralis, ac definitione voluntarij, quod sit ab intrinseco principio cognoscente singula, in quibus est actus. Vnde sequitur primò. Nulla verba, nullosque motus esse peccata, nisi præcognitos aliquo modo sub ratione mali, sed esse motus merè primò primos; aliàs enim liberi non sunt, quatenus mali. Secundò, aduertentiam illam debere esse deliberatam perfectè, aliàs sunt motus secundò primi, nec peccata mortalia, sed tantum venialia. Cùm ergo Ingen vel omnino non, vel non perfectè aduerterit ad malitiam blasphemix, aliorumque prauorù motuum, non peccauit in illis, aut certè non mortaliter; quod enim subdubitet, an aduerterit, potest probabiliter credere, se nõ aduertisse saltem perfectè, cùm aliàs sit virtimorata conscientia, vt præter alios rectè Mart. Bresserus l. 6. de conscientia scrupulosa. c. 17. num. 215.

*Ad 1. in contrarium* quoad punitionem blasphemix incogitatae à DEO factam dicimus cum S. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 2. & alijs communiter, illum puerum verè aduertisse

tisse ad malitiam, ideòque peccâsse, ac iustè punitum à Deo fuisse, cùm malitia præuenerit ætatem, & defectum huius suppleuerit: quoad punitionem blasphemix non præcognitæ ab hominibus fieri solitam, si ita est, dicendum, Iudices hos procedere ex præsumptione perfectæ aduertentiæ; quidquid iam sit, vtrum licitè præsumptio hæc fiat. *Ad 2.* patet ex dictis.

*L. Iulitta honestissima matrona post vltimum suum puerperium lacrymans conqueritur Confessario suo, tres iam proles se habuisse, nullã autem harum à conceptione singularum sine dolore fuisse, in ipso autem partu præ magnitudine cruciatuum semper in aperto vitæ periculo se extitisse: interim viro debitum coniugale porro denegare se non posse: scire proinde cupit, an non post actum coniugalem statim semen effundere, & sic sanitati, vitæque suæ consulere possit. Queritur. Quid Iulittæ dicat Confessarius?*

Videtur, posse Confessarium hoc ipsi licitum dicere. Ita Facundez in Decalog. Tom. 2, l. 6. c. 3. num. 5. Ratio est. Tum quia apertum vitæ proptiæ periculũ & graues à conceptione dolores præualent iuxta rectum ordinem vitæ alienæ, & valde adhuc incertæ prolis. Tum quia ex communi fere Theolog. licitum est coniugibus, copulam delectationis causâ incipere, & non absoluere, licet hoc modo etiam prolis generationem impediunt.

*Resp.*

Resp. Confessarium dicere debere Iulittam, quod absque peccato lethali nunquam semen eijcere possit post actum conjugalem. Ita planè plerique omnes Theologi. Ratio manifesta est. Quia quidquid intrinsecè est malum, nunquam licet facere. Sed impedire generationem prolis, quod fit per voluntariam seminis effusionem, est intrinsecè malum. Ergo &c.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, vitæ periculum & dolores suos graues Iulittam alio modo cauere posse, nim. omittendo actum conjugalem, vel deprecando, vel absolutè negando, cum vxor in talibus circumstantijs ad eum non teneatur, vt communis habet TT.

*Ad 2. negamus* paritatem, quia copula absque seminatione (proxima scil. causa generationis) reputatur instar tactuum turpium, qui inter coniuges, cessante pollutionis periculo, liciti & permitti sunt.

LI. *Leovigildus Consiliarius Regius, vt è re & voluntate Principis sui diversa negotia pertraheret, lites decidat &c. mirâ sollicitudine varios Doctores inquirat, & alium ex alio consulat, donec reperiat, qui ad placitum respondeat. Queritur. Vtrum bonâ hoc Conscientiâ facere possit?*

Videtur mortaliter peccare. Ita Navarr. *in Sum. c. 17. n. 83. & Adrianus in 4. de Restit. Quest. de prescript. Dub. vlt. Movetur. Quia talis periculo errandi se exponit; timendum quippe,*

quippe,



quippe, neputans se quærere lucem, quærat tenebras, reperiatque loco illuminati ducis tenebrionem, qui eum in foveam deiiciat.

Resp. Leovigildum non peccare, modò rectâ intentione procedat. Ita Thom. Sanchez L. 1. in Decalog. c. 9. n. 24. Baldell. Tom. 1. D. 22. n. 2. Bresserus de Conscient. L. 3. c. 6. n. 78. & alij. Ratio est. Quia in hac investigatione utitur iure suo à natura sibi concesso, cum solùm investiget scientiam de obligatione, quam imponunt alij. Idcirco dixi modò rectâ intentione procedat? si enim plures Doctores inquirat, paratus stare sententiâ illius, qui ad placitum responderit, quâcunque tandem ratione nitatur, illicitè operabitur, ut rectè concedit Bardi Discept. 4. de Conscient. probabili c. 19. n. 3.

Atque in hunc sensum intelligimus Authores in contrarium allatos, quod scilicet supponant pravam indagandi intentionem, quod unicum etiam ipsorum ratio convincit.

LII. Leucianus maritus vxorem suam in mortis articulo constitutam importunis & molestis precibus diu fatigavit, & tandem ab ipsa extorsit, ut factò testamento ipsum institueret heredem, præteritis fratribus consanguineis. Nunc post vxoris mortem angitur scrupulo, & scire à Confessario petit, num bonâ conscientia accipere hereditatem possit. Quæritur. Quid dicat Confessarius?

Vide-

Videtur non posse. Ita Sanchez *l. 4. de Matrimon. D. 10.* Lessius *l. 2. c. 17. D. 7. n. 46.* Palao *tr. 2. D. 1. p. 12.* post Syluestrum, Nauarum & alios. Ratio est. Tum quia iura ciuilia requirunt, vt testamentum & quælibet vltima voluntas magnâ libertate fiat. Tum quia talis importunitas ac molestia agræ illata iniuriam aliquam continet. Hinc Molina etiam *Tr. 2. D. 135.* putat in foro externo tale testamentum cassatum iri, si fratres consanguinei probare possint, vxorem precum importunitate ac molestiâ à marito adactam fuisse.

Resp. Testamentum illud non solum in conscientiæ foro valere, sed etiam iure ciuili rescissioni non subiacere, adedq; Leucianum hæreditatem accipere ac retinere posse. Ita Medina Complut. *C. de Restit. q. 3. causa 2. V. Sè fiat remissio.* Basilius Pontius *de Matr. l. 4. c. 10. n. 5.* & alij nonnulli. Ratio est, quia metus leuis ex precum importunitate & reuerentia mariti est in potestate vxoris, eumque abijcere potest; quippe vniuersim is, qui ex metu tali operatur, non agit prudenter, atque idcirco in eius est potestate, imprudentiam repellere, habetque sufficiens in se principium repellendi illum & sine metu agendi. Ergo in proposito vxor omnino voluntariè operatur, nullamque patitur iniuriam, dum importunitatem precum & metum reuerentiæ non vult reijcere, cum facile possit; esto inde inducta  
Leu-

Leucianum maritum suū instituat hæredem, aliàs non institutura.

Confirmatur ex l. nec timorem. ff. 7. de eo, quod metus causa. & ex c. 1. 3. & 4. de his quæ vi. vbi metus leuis pro nihilo reputatur, negaturque actio patienti metum sic donata recuperandi: sed nec necessarium est, vt eiusmodi metum passis succurratur ex officio Iudicis, cum nulla, aut ferè nulla iniuria sit illata, quæ attendi debeat. Atque sic etiam patet ad argumenta in contrarium allata.

LIII. *Leuinius homo valde doctus & catholicus inter alios bibliothecæ suæ libros habet, retinetque nonnullos hæreticos de Religione tractantes, quos subinde legit, eorumque errores commentarijs suis inserit & refellit; quod advertens Leuiniianus vir religiosus rogat, num rei huius habeat facultatem, cui ille reponit, hæc se facultate non indigere, cum nullum apud se sit perversionis periculum. Queritur. Verum Leuinius ex allata solùm causa excusetur à peccato mortali, & excommunicatiōne Bullæ Cœnæ?*

Videtur excusari. Ita nonnulli apud Palao Tr. 4. Diss. 2. pun. 10. §. 2. n. 8. quos sequitur Caramuel in Theolog. sua fundamentali. fundam. 17. q. 2. n. 434. Mouentur. Tum quia hæc retentio & lectio non fauet hæresi, sed potius eam destruit. Tum quia cessante fine in casu particulari cessat, nec pro ipso obligat lex, vt cum alijs Theolog. docet Granad. 1. 2. Cont. 7. de

de ll. rr. 3. p. 2. D. 15. s. 2. Atqui apud Leuinium cessat finis legis, nempe periculum peruersionis. Ergo &c. Tum quia Hæreticorum libri Grammatici, Rhetorici, Philosophici, Medici, Iuridici &c. saltem in pluribus Germaniæ locis retinentur & leguntur, eò quòd communiter in hac retentione & lectione periculum abesse putetur, licet varios errores & hæreses contineant.

Resp. Leuinium retinentem & legentem libros hæreticos ex prædicta causa, quod scilicet apud ipsum nullum sit peruersionis periculū, minimè excusari à peccato mortali, & incursum censuræ. Ita Suarez *de fide Diss. 10. s. 28 n. 27.* Azor, Sanchez, Coninck, Palao *loc. cit.* Card. de Lugo *Tom. de fide. D. 21. n. 62.* & plerique alij, quos refert & sequitur Diana P. 6. Tr. 6. Res. 49. & P. II. T. I. R. I. Ratio est. Tum quia lex prohibet retentionem & lectionem talium librorum absolutè, abstrahendo, quæ id intentione fiat. Tum quia esto in tali homine nullum adsit periculum, vniuersim tamen istud adest, & latet anguis in herba, quæ prohibitione suâ detectum & sublatum vult Ecclesia, vt ita vniuersim tanquam sapiens Mater omnibus consulat. Tum quia finis legis prohibentis hæreticorum libros est, ne tales libri conseruentur, sed destruantur, vt notat Suarez *loc. cit.* Ergo Leuinius hanc destructionem omittendo peccat contra legem illā, & in censuram incidit.

*Ad 1. in contrarium negamus, hanc retentionem & lectionem non fauere hæresi, cum istam in libristalibus latentem contra legem Ecclesiæ foueat, & ab interitu seruet. Ad 2: distinguimus inprimis Maiorem cum Lugo n. 66. concedendõ eam, si maius bonũ fidei & Ecclesiæ surgat ex hoc, quod lex ista in hoc particulari casu non obliget, licet adhuc in comũni obliget: secus, negando eandem; vt autem prædictum bonum existat, non sufficit, Leuinium sibi videri securum; quippe facilè fingimus nobis talem securitatem; aut quisquam plus sibi fidere ausit Salomone, vt contra legem libros hæreticos (qui veneno suo instar blanditiarum muliebrum animum inflectere amant) retentione ac lectione sibi copulet, & non seducatur? Deinde negamus Minorem, tum quia finis legis est destructio talium librorum, vt dictum, qui finis etiam absente seductionis periculo subsistit. tum quia etiam si demus, finem prædictæ legis esse peruersionis periculum, iste tamen finis non est solus, sed insuper punitio hæreticorum, sicut enim ipsos à communione fidelium, ita etiam illorum libros à manu & vsu eorundem fideliũ abscindit Ecclesia. Ad 3. dicimus cum Layman l. 2. ty. 1 c. 15. n. 4. Becano 2. 2. c. 15. q. 8. & alijs, Bullarem hanc constitutionem in partibus nostris Septemtrionalib. secundum talem rigorem non esse receptam, nisi apertius consta.*

constaret, huiusmodi librorum Authoribus præcipuum fuisse institutum, Romanam Ecclesiam, Clericorum & Monachorum statum traducere; id quod intendunt Authores illorum librorum, quos apud se retinet, legitque Leuinius. Vnde etiam in Germania legi non posse Ioannem Auentinum, Ioannem Schleidanum, & Sebastianum Münsterum, vult ipse Layman *loc. cit.*

LIV. *Liberius in discursu & colloquio de varijs sententijs insinuat, fornicationem non esse intrinsecè malam, sed ideò solùm, quod DEVS eam prohibuerit, quam opinionem vehementer obstupescunt alij, & in varijs dein occasionibus eius meminerunt, vt aliorum de eadem iudicium audiant. Queritur. Quid de illa sentiendum?*

Videtur opinio hæc probabilis esse. Tum quia eam expressè docet Caramuel *in Theolog. Moral. l. 3. n. 1600.* Tum quia DEVS Osee, 1. tanquam supremus Dominus dispensauit cū Propheta circa fornicationem, vt explicat S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 2. Tum quia melius est proli, sic esse, quàm non esse.

Resp. Hanc opinionem (quod fornicatio non sit intrinsecè mala, sed ex sola prohibitionē positiuâ) esse longè falsissimam, nihilque penitissimè habere probabilitatis. Ita vniuersa Theologorum schola, vt videre est passim. Prob. 1. *ex Sac. Script. Cor. 6. Eph. 5. Gal. 5.* Vbi ab Apostolo fornicatio, tanquam res ex

se turpis & inhonesta præcipitur vitanda, comparaturque idololatriæ, furto, & homicidio, quæ secundum omnes per se & intrinsecè mala sunt. Prob. 2. Ut proles rectius educaretur, à natura institutum est vinculum conjugij, quo parentes mutuo & inseparabiliter astricti illius educationi & institutioni aptius attenderent. Ergo ommissio huius ordinis ex instituto naturæ ad prolis complementum necessarij est deordinatio grauis & intrinsecè mala. Tum quia concubitus vagus, seu fornicatio ex se est contra bonum humani generis; si enim licita foret, passim proles negligeretur, ex quo non posset nisi summa confusio, perturbatio, & ignorantia in humano genere sequi. Ergo ex se & intrinsecè est graue malum, etiamsi nullo alio posituo præcepto prohiberetur.

*Ad 1. in Contrarium* dicimus, opinionem aliquam non eo ipso statim esse Probabilem, quod ab vno Authore imprimatur, sed insuper opus esse, vt firmâ aliqua, & hætenus alijs vel non cognitâ, vel non satis perceptâ ratione roboretur, & non communiter ab alijs Doctoribus explodatur, vt rectè Marchantius in *Tribun. Sacrament. Tr. 5. tit. 5. q. 5.* Cùm ergo præsens opinio nullâ simili ratione stabilatur, & ab omnibus Doctoribus vnanimiter reiiciatur, tantum abest, vt à solo Authore suo aliquam probabilitatem mereatur, vt potius ipse

ipse Caramuel ab hâc & similibus novis opinionib. malè audiat, grauitèq; à nonnullis censeatur. *Ad 2.* Negamus, Deū propriè dispēsāsse cum Osea, sed mandando effecit, vt mulier, quæ prius fuerat fornicaria, post Prophetæ cōsensū foret vxor istius, vt ex Richardo rectè Dicastillo *L. 1. de virt. Cardin. D. 3. n. 247.* *Ad 3.* Dicimus cum Lessio *L. 4. c. 3.* Quamuis melius sit proli, sic esse, quàm non esse, si tamen parentes velint operam dare generationi, debent id ita facere, vt opus habeat convenientem ordinem ad prolem tum suscipiendam, tum educandam; quod si hoc ordine careat, priuant, quantum est ex vi actûs, prolem hoc bono, siquidem istud ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

*LV. Leutfridus ambit nuptias se dignas cū Iulia nobili Virgine, sed Pater obtrudit ei Iulianam paris nobilitatis puellam, grauitè minitans, nī pareat: ille tamen neglectis minis, & Consensu Patris contrahit cum Iulia. Queritur. An Leutfridus peccet mortaliter contrahendo cum Iulia contra voluntatem & consensum Patris?*

Videtur sic peccare. Ita Guttierrez, Petrus Barbosa, Veracruz, & alij, quos refert & sequitur Facundez *L. 4. in Decalog. c. 4. n. 4.* Quia in re graui & iusta non obedit Patri, & offendit eum absque iusta causa.

*Resp.* Leutfridum non peccare mortaliter in eundo cum Iulia dignum se matrimonium.

*Ll 3*

*Ita*



Ita D. Thom. 22. q. 104. art. 5. c. Toletus L. 5. Sum. c. 1. n. 6. Henricq. L. II. de Matr. c. 6. n. 4. Sanchez L. 4. de Matr D. 23. n. 10. & plures alij. Ratio est quia in ijs, quæ ad electionem statûs, ad propriij corporis sustentationem, & ad filiorû generationem spectant, omnes homines sunt pares, nec filij subijciuntur parentibus; vnde isti imeritò offenduntur, si obedientiam ab illis hâc in re non experiantur.

Atque ex hoc patet ad rationem Aduersariorum, quibustamen duo dederim. Primum cum Sanchez loc. cit. Filium teneri consulere patrem, saltem si commodè fieri possit, & nõ longè absit, aut si non timeat malitiosè impedimentum. Alterum cum Toletto loc. itidem cit. filium teneri etiam obedire Patri, si multùm referret, illum cum alia contrahere v. g. ad graues inimicitias inter magnas familias tollendas &c.

LVI. Lot Genes. cap. 19. vt viros, quos hospitio suo susceperat, contra vim Sodomitarum seruaret intactos, ait ad istos v. 7. Nolite, quæso, Fratres mei, malum hoc facere, habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis. Queritur. Rectè hoc fecerit?

Videtur rectè fecisse. Ita Vasquez opusc. de scand. q. 4. 43. art. 1. dnb. 1. n. 9. Turrianus, Bas. Pontius, & post alios Diana Tom. 5. rr. 7.

Res.

Ref. 18. Prob. Tum autoritate D. Augustini, qui *relatus in C. si quod verius est. 33. q. 2. de volente occidere uxorem, & ducere concubinam* ait, *utrumque nefarium esse, nec debere vnum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare, sed si facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium.* Tum quia Lot non suadet minus malū absolutè, sed sub conditione, quod Sodomitæ aliud grauius (contra naturā) sint effecturi. Atqui casu, quo grauius malū sint effecturi, bonū ac honestum est, illis persuadere, vt minore malo contenti sint. Ergo non peccat &c.

Resp. Lot (sumendo verba, vt sonant) malè fecit, & mortaliter peccauit. Ita Caietanus 22. q. 78. *art. 4. notabili. 3.* Syluester, Sa, Valentia, Couarr. Palao Tr. 6. p. 6. *pun. 6. n. 7.* Cornelius à Lapide *in citatum locum Genes. & alij plures.* Probatum. Tum quia Lot filias suas prostituere non potuit, neque aliquid suadere, quod cederet in graue damnum suarum filiarum; quandoquidem pater non habet potestatem in corpora & pudicitiam suarum filiarum. Tum quia Sodomitæ non cogitabant de filiabus Lot vitiandis. Ergo iniquè eas obtulit illis tam impuris, vt liberaret suos hospites. Tum quia Lot inducendo Sodomitas in adulterium aut fornicationem cum filiabus suis verè huius peccati est causa, & inruit in illud. Ergo peccat; esto aliud peccatum

etiam maius contra naturam per illud cauere intendat. Atque hæc argumenta aded mihi conuincencia videntur, vt contrariam opinionem Dianæ & aliorum neque probabilem putem, nisi extrinsecè à sola authoritate.

*Ad 1. in oppositum dicimus, D. Augustinum iuxta Glossam loqui nõ consulendo, sed permittendo: vel solùm intendit, facturum re-ctius, si adulterium, quàm si homicidium faceret.* *Ad 2. Lot à parte rei suadere malum in damnum filiarũ suarum, de quo damno non cogitauerunt Sodomitæ. Ergo peccat. Nec dici potest, illum suadere solùm electionem minoris præ maiore, non autem ipsum malum. Nam id suadet, quod sub minore præcepto nouit esse prohibitum, sed hoc ipsum malum minus non est sola eius electio. Ergo &c.*

*Dixi sumendo verba, vt sonant. Nam Caietanus, Pererius, Salianus & alij in cit. locum Genes. volunt, Lot non fuisse locutũ eo animo & proposito, vt id fieret, sed secundum quandam exaggerationem siue hyperbolen ad ostendendũ, quàm graue foret delictum, hospitibus suis tale inferri nocumentum, vt potius permitteret, proprias id pati filias, quo casu subinde aliquis dicit: me potius interfice, quàm vt hoc facias.*

*LVII. Lucerius conductas à Lucio ades inhabitans familiam alit copiosam multis scil. pro artificio*

ificio suo indigens famulis; è quibus nuper vnus  
abijt ex officina sua relictis prunis, quas prius pro  
opere conficiendo illuc intulerat, quæ mox exar-  
descendentes non solam officinam, sed totam domum  
incenderunt. Lucius facile suspicatus, malum istud  
culpâ alicuius domestici accidisse, postulat nunc  
damnum exustarum adinm sibi à Lucerio resarciri.  
*Quaritur.* An iste ad aliquid pro damno tenea-  
tur?

Videtur teneri. Ita præter alios Fachineus  
in *Controuers. jur. l. 1. c. 87.* & Card. de Lugo de  
*just. disp. 29. n. 65.* Mouentur. Tum quia in-  
cendium plerumque culpâ inhabitantium fit,  
vt ait I. C. in *l. 3. ff. de off. Præfecti vigilum.* Tum  
quia Paterfamilias est caput familiæ, eiusque  
imperio domestici subsunt. Ergo quod ne-  
gligentiâ domesticorum fit, illius culpâ factû  
censetur.

Resp. Lucerium conductorem ac Patrem-  
familias ad nihil teneri, nisi Lucius locator  
probet, incendium accidisse ex culpa certi ac  
determinati famuli in officio suo, qui com-  
muniter pro negligenti est habitus, & tamen  
à Lucerio in domum inductus & toleratus  
fuit. Ita Mathias Berlichius in *conclusionibus  
practicis. cent. 4. conclus. 25.* Vdalricus Hunni-  
us, Ioannes Wurmserus & plures Iuristæ apud  
Dianam *part. 9. Tr. 7. Resol. 31.* & teste Laym.  
*l. 3. Tr. 4. c. 22. n. 6.* cæteri Doctores commu-  
niter. Ratio est, Quia si Lucerius ad dam-  
num

num refarciendum teneretur, fieret id ratione culpæ latæ, aut levis commiffæ. Atqui hanc talem culpam non commiffit. Ergo &c. Maiorem concedit Lugo *loc. cit.* & admittunt communiter alij DD. *ex textu in l. 25. §. qui columnam. 7. ff. de locatione.* Min. Prob. Si culpam latam aut leuem commiffiffet Lucerius, accidiffet ex eo, quod in domum fuam induiffet ac toleraffet hunc determinatum famulum, qui communiter pro negligenti habitusiam etiam fuâ culpâ & negligentia in officio iftud incendium excitauit. Atqui hoc non ita fe habet, negatque conftanter Lucecerius, vel adfcribi poffe hoc incendium vni determinato famulo, vel vni determinato ex omnibus communiter pro negligenti in officio fuo haberi. Ergo ad nihil tenetur Lucio, donec ifte liquidò illud probet.

*Ad rationes in contrarium dicimus, incendia fieri quidem plerumque culpâ inhabitantium, non tamen certi ac determinati hominis in officio fuo communiter negligentis, vt proinde præfumptio hæc nec vera, nec folida, nec fufficiens fit ad condemnationem Patrisfamilias. Addimus non quamuis præfumptionem de culpa inhabitantium Patremf. attingere, aut huic imputari, fed præfumptionem de culpa determinati hominis, qui communiter in officio fuo pro negligenti habitus,*

&amp;

& tamen in domum fuit admissus. Vnde clarè patet, nihil hinc euinci.

LVIII. *Luperius juvenis adeò libidini est deditus, vt nec in templo mulierum aspectu illectus abstineat, sed hìc mollitiem exerceat, quam tamen circumstantiam non exprimit nominatim in Confessione, quasi nihil in ea specialis malitia lateret. Queritur, Vtrum pollutio occultè in Ecclesia facta contineat specialem rationem Sacrilegij in Confessione exprimendam?*

Videtur continere. Ita Suarez Tom. 1. de Religione. l. 3. c. 7. n. 4. Thom. Sanchez de Matr. l. 9. D. 15. n. 11. Bonac. de Matr. q. 4. p. 19. n. 7. Lugo D. 16, de Pœnit. num. 461. & plures alij. Probant. Tum quia si ille actus postea publicaretur, Ecclesia haberetur polluta. Ergo ante hanc publicationem iam fuit Sacrilegus. Tum quia est contra reuerentiam templo debitam. Tum quia furtum etiam occultum, si in Ecclesia fiat, sacrilegum censetur. Ergo & pollutio occulta.

Resp. Pollutionem occultam in Ecclesia factam non habere rationem Sacrilegij specialiter in Confessione explicandam. Ita Vasquez in 1. 2. D. 98. c. 3. n. 6. Bas. Pontius de Matr. l. 10. c. 10 n. 15. Martin. Perez de Matr. D. 49. s. 4. Caspens. Tom. 1. Tr. de Pec. D. 2. s. 3. n. 20. Caramel in Reg. S. Benedicti. D. 66. n. 1017. & alij, quos citat & sequitur Diana part. 7. Tr. 11. Resol. 31. Ratio est, quia malitia sacrilegij ex  
feminis

seminis effusione non contrahitur, nisi propter violationem Ecclesiae, & motium inhonorandi istam. Atqui fornicatio & pollutio occulta nec violat Ecclesiam, ut suppono ex Communi ferè Theologorum; nec ex natura sua motium habet inhonorandi illam. Ergo &c. Confirmatur. Tactus, oscula, & turpia colloquia in Ecclesia exercita non continent specialem malitiam sacrilegij, uti ultra concedunt ipsi Aduersarij, quia iure positiuo non ita sunt contra reuerentiam templi, ut istud egeat reconciliatione. Ergo nec occulta pollutio in templo facta eandem malitiam continet, cum nec ista iure positiuo violationem Ecclesiae contineat, quae tunc solum fieri censetur, quando scelus est publicum.

*Ad 1. in contrarium* negamus consequentiam, cum enim ius positiuum, quo statuitur, seminis effusione violari Ecclesiam, odiosum sit, restringi illud oportet, quantum, saluâ lege, fieri potest, ut scilicet non nisi de publica saltem probabiliter praesisa intelligatur. Si ergo casu solummodo publicetur, in foro conscientiae sacrilegium non committetur, licet in foro externo praesumatur. *Ad 2.* dicimus, non quamlibet irreuerentiâ contra templum commissam importare specialem malitiam sacrilegij, ut patet manifestè in tactibus, osculis, & colloquijs turpibus in templo factis. *Ad 3.* negamus paritatem, quia furtum speciali

ciali lege Ioan. VIII. in C. quisquis inuentus.  
Causa 17. q. 4. sacrilegij malitiam habet annexam.

LIX. *Manfredus Religiosus facultatem habet à P. Prouinciali suo accipiendi res dono oblatas aut earum pretium citra medium florenum; huiusmodi autem dona subinde accipit ille vno die plura à diuersis oblata, vt facile vnum aureum aquent, vel superent, absq; alia vltiore facultate, vi solùm prædictæ, quam à P. Prouinciali accipit. Queritur. Num licitè?*

Videtur licitè id facere. Tum quia id licitè fit, quod est conforme facultati concessæ. Atqui hæc donorum acceptio est conformis. Ergo &c. Prob. Min. si nõ esset conformis facultati datæ, id fieret ratione excessûs in donis quasi in vnum coalescentibus. Sed hoc nõ est. Ergo &c. Prob: iterum Min. Tum quia singulæ donorum acceptiones sunt diuersæ tam ratione personarum, quàm fortè etiam materiarũ. Tum quia eadem dona moraliter non consentur coalescere per diuersas acceptiones intra vnum aut duos menses. Ergo nec intra vnum, aut duos dies. Tum quia singula dona per singulas facultates etiam eod. die non coalescunt, etiam si simul sumpta in magnam quantitatem excrescant, in quã expresse non consentit superior. Ergo nec coalescunt in proposito, cum vna facultas virtualiter includat plures.

Resp.



Resp. Manfredum illicitè & contra pau-  
 pertatem facere, si vno die accipiat plura do-  
 na, quorum singula medio floreno æstiman-  
 tur, & ipse aliam facultatem nec habeat, nec  
 præsumat, quàm accipiendi aliquid citra me-  
 dium florenum. Probat. Tum quia facit  
 contra aperta verba Superioris, qui solùm cō-  
 cessit facultatē accipiendi res aut rerum pretia  
 citra medium florenum; hæc autem verba  
 Superioris, quando clara sunt, in materia le-  
 gis & priuilegij vnicè attendi debere, com-  
 munis est doctrina Authorū de Legib. Tum  
 quia priuilegium hoc derogat communi iuri  
 & statuto, iuxta quod nemo religiosorum si-  
 bi accipere aliquid potest absq; facultate. Er-  
 go est strictæ interpretationis, vt post Sanchez,  
 Suarez, Salas & alios docet Palaø *Tr. 3. de ll.*  
*D. 4. p. 10. num. 4.* Ergo cū solùm facultas  
 concessa sit ad medium florenum, non vltra  
 hunc accipere potest Manfredus. Tum  
 quia plura ista dona intra vnum diem ac-  
 cepta moraliter coalescunt in vnum, vt  
 proportionaliter plura furta intra exiguum  
 tempus facta coalescere docet præter alios  
 Dian. *P. 1. Tr. 6. Resol. 34.* Ergo cū Man-  
 fredus non habeat facultatem simul accipi-  
 endi vnum aureum, nec etiam habet faculta-  
 tem eod. die accipiendi plura dona, quorum  
 singula medium continent florenum & simul  
 sumpta aureum æquant. Tum quia aliàs Man-  
 fredus

fredus poterit vno die à diversis accipere 10. 20. 30. aut plures florenos, quod est absurdū, & cedere posset in grave detrimentum religionis, si idipsū alij ex simili facultate facerent. Tum quia ideo censetur superior determinasse medium florenum, quia noluit Manfredum vi huius concessionis simul & semel plus habere absque alia facultate. Ergo contra mentem huius, adeoque illicitè à diversis donantibus accipit vno die vnum aureum, ad quid enim aliàs fuit determinatus medius florenus? Tum quia saltè dubium est, num Manfredus vi factæ potestatis vno die possit sæpius accipere munus aliquod medij floreni. Ergo in hoc dubio ad eūdem Superior, eiusq; mens inquirenda, vt docent Suarez, Salas, Bonac; Palao *loc. cit.* & alij communiter.

*Ad argumentum in Contrarium* dicimus, hanc acceptionem non esse conformem facultati ratione excessus ob materiam coalescentem. *Ad 1.* huius probationem, hoc non obstare, sicut non obstat in furtis, sufficit Manfredum non posse simul habere tantam rerum quantitatem vi huius concessionis. *Ad 2.* negamus consequentiam, quia rationabili & prudenti iudicio intra vnum aut duos menses etiam furta modica non coalescunt, vt cum alijs docet Filiuc. *Tom. 2. Tr. 31. c. 10. n. 244.* quæ tamen intra vnum aut alterum diem facta coalescere censentur iuxta omnes. Sed quanta esse

esse debet interpolatio, vt donationes plures coalescere non censeatur? Respondeo, citatum Authorem, & Dian *loc. cit.* requirere in furtis saltem medium mensem, quod in casu nostro ita admittendum puto, vt intra duos menses non plures quàm quatuor tales acceptiones fiant, esto forsan non semper post vnâ duâ integrâ hebdomades interlabantur. Ad 3. negamus consequentiam, ratio disparitatis est, quia singulæ materiæ per singulas facultates intra se quasi ita conclusæ sunt, vt coalescere nequeant, id quod non est in casu nostro; esto enim vna hæc facultas plures contineat, non continet tamen, nisi limitatè, ne ratione simultaneæ acceptionis plures donationes moraliter in vnū coalescant, & quantitatem concessam excedant.

LX. *Marcella nobilis Vidua cum arate & morbis confecta templum adire amplius non possit, petit ab Ordinario facultatem procurandi in ara mobili sibi Sacrum intra parietes domûs suæ, quam & impetrat, eâ tamen lege, vt intra 14. dies vnū tantum Sacrum legi sibi curet, nisi crescente morbi malo plura legenda Confessarius putaret: nec quisquam assistendo Sacro illi satisfacere possit præcepto Ecclesiæ de Sacro diebus festis audiendo. Quæritur 1. Vtrum Marcella, cum integro subinde mense nullum Sacerdotem habere possit, idcirco intra sequentes aut antecedentes 14. dies, quibus copiam habet Sacerdotum, tria Sacra sibi procura-*

re possit? 2. Quot Sacra, ingrauescente morbo, Confessarius intra 14. dies concedere possit? 3. Vtrum alij, qui diebus festis intersunt hisce priuatis Missis, peccent mortaliter, si aliud iisdem diebus non audiant, cum possint?

Videtur, Marcellam non posse intra vnos dies 14. procurare sibi tria Sacra, & nullum postea sequenti mense: nec Confessarium aucto morbi malo multò liberaliorem esse posse in concedendis Sacris Marcellæ: neque denique vllum satisfacere posse præcepto Ecclesiæ assistendo tali Sacro die festo. Ratio primi & tertij est; quia ex communi Theologorum, si verba priuilegij per se clara sint, & certam habeant significationem, nulla adhibenda est interpretatio, sed tenor & forma priuilegij iuxta verborum proprietatem obseruanda. Atqui in proposito verba clarissima sunt, vt ipsemet, qui ea legi, testari possum. Ergo &c. Ratio secundi est, quia Confessarius attendere debet ad mentem & finem concedentis, qui non vult, domum perinde Sacrorum capacem esse, ac templum, in quo quotidie fieri possunt. Ergo modum adhiheri oportet.

Resp. 1. Marcellam posse intra vnos 14. dies habere tria Sacra, si fortè intra eosdem bis postea repetitos nullum omnino acquirere possit. Hæc Responsio est comunis Theologorum ex recepto illorum effato, quod priuilegium

M m

uilegium

uilegium purè fauorabile seu beneficium sit latè explicandum, quantum recta ratio dicat, si præsertim non sit contra jus commune, aut in præiudicium tertij. Atqui tale est priuilegium Marcellæ. Ergo &c. Confirmatur. Card. de Lugo *de Euch. D. 21 num. 44.* cum Tho. Sanchez, Nauar. & alijs, docet, si Sacerdos debeat singulis mensibus 15. Sacra dicere v. g. pro fundatore Capellaniæ, posse ipsum hoc mense dicere 30. pro duobus mensibus, quia anticipata solutio non præiudicat, sed prodest creditori. Ergo etiam Marcella potest proportionaliter præuenire in Sacris procurandis, cum hæc anticipata procuratio non præiudicet vlli, sed gratiam concedentis magis commendet. Resp. 2. P. Confessarium posse satis esse liberalem in permitendis Sacris ob rationem dictam, modò non quotidie fieri concedat, vt maneat discrimen inter domum & templum, nisi fortè vltimum triduum v. g. quod iudicio Medicorum mortem præcederet, tria continuò Sacra in solatium agræ postularet. Resp. 3. Quemlibet assistentem Sacro in domo Marcellæ satisfacere diebus festis præcepto Ecclesiæ. Ita ex communi Theologorum Barbosa *de Potestate Epif. P. 1. Allegatione 24. num. 17. & 18.* vbi ait, Missæ audiendæ præceptum adimpleri quocunque in loco; quia nimirum consuetudine firmatum est, vt nullus determinatus locus requi-

requiratur, cui fauet Trid. Sess. 22. Decreto de  
*obseruandis in Celebrat. Missar.* quatenus ex  
Consilio solùm & monito Episcoporum ob-  
ligati sunt fideles, proprias Parochias accede-  
re; Vnde addit citatus Author, non posse E-  
piscopos cogere fideles ad Sacrum in certo lo-  
co audiendum, & satisfaciendum præcepto  
Ecclesiæ, cùm communi juri & priuilegijs à  
Sede Apost. concessis derogare nequeant.  
Quare prædicta verba Bullæ, ne frustra sint  
posita, putat Palao *Tr. 22. D. vnicâ. P. 15. n. 13.*  
intelligi debere, non de audiente, sed cele-  
brante, ne scilicet aliquis Sacerdos celebret  
alicui externo in domo Marcellæ, vt assisten-  
do ipse satisfacere præcepto Ecclesiæ possit,  
cùm ad hoc nulli Sacerdoti facultas conce-  
datur. Sed ait Bonac. *D. 4. de Sacra. q. vltima.*  
*pu. 12. n. 4.* vbi prædictam formam in Bullis  
Ordinariorum approbat: Sæcularis non sa-  
tisfacit Communioni Paschali extta Parochi-  
am aut priuilegiatum templum. Ergo nec  
præcepto audiendi sacri. Negamus Conse-  
quentiam. Quia ex Communi Iure Commu-  
nioni Paschali satisfieri debet in Parochia,  
aut saltem in Ecclesiâ priuilegiata; quod se-  
cus se habet in Sacro audiendo, vt vidimus.  
Atque ex his patet ad rationes in contrarium.

LXI. *Marcus miles Catholicus in bello contra  
Turcas capitur ab istis, qui cupidi arcanorum ex-  
tricitis Catholici, quæ ipsum minimè latere sciunt,*

minantur ei tormenta omnia, ipsamque mortem, nisi prodere illa velit, iamque reluctantem ex equuleo suspendunt. Queritur, Vtrum Marcus ad evitanda hæc graua incommoda pandere secreta possit?

Videtur posse. Quia nemo tenetur cum tanto suo incommodo attendere & conservare commodum alterius; vnde si Marcus sciret crimen occultum Marciani ab hoc sibi secreto revelatum, posset illud ad seruandam suam propriam vitam, & evitanda graua incommoda manifestare, etiamsi inde mors & infamia Marcianum manerent, vt ex communi docet Lessius L. 2. de Iust. c. 11. dub. 8. n. 54. & sequentibus.

Resp. Marcum non posse licite aperire Turcis secreta, ex quibus detectis graua incommoda exercitui Catholico oriri possint, etiamsi varia tormenta sustinenda, & tandem durissima mors sit subeunda. Ita Pet. Navar. L. 2. de Restit. c. 4. n. 130. Malderus de Iust. Tr. 7. c. 1. dub. 10. & 11. Facundez in 8. præcept. Decal. c. 6. n. 10. Dicast. de Iust. Tr. 2. D. 12. n. 591. & alij. Nam naturæ lumen nos docet, bonum commune (quod à secretis Regis, Reipubl. Exercitus &c. frequenter dependet) præponere bono priuato. Cùm ergo arcana illa conducant ad conseruationem, & prosperum progressum exercitus Catholici, adeoque ad bonum commune, Marcus tanquam priuatus

tus homo quælibet acerba, atque ipsam etiam mortem pati prius debet, quàm illa secreta hostibus pandat.

*Ad rationem in oppositum dicimus, neminem quidem teneri cum tanto suo incommodo attendere & conseruare commodum alterius priuatum; at verò publicum, quale periclitatur in proposito; vnde etiam concedimus, Marcum aperire posse occultum crimen Marciani, modò illud absque vi & fraude acceperit, vt bene limitat Sotus L. 5. de Iust. Quest. 10. art. 2. ad finem, quia coipsò, quod per vim acceperit, semper est contra iustitiam, illud reuelare; licet enim peccatum extortionis secreti præterierit, durat tamen adhuc, moraliter loquendo, in effectu suo, hoc est, in obligatione seruandi secreti, ita vt effectus iniustitiæ per reuelationem continuetur, vt patet.*

LXII. *Mennas in graue lapsus peccatum non audet istud exponere Confessario propter magnum incommodum, quod inde haud immeritò timet. & tamen urgetur necessitate confessionis annua, nec copiam habet alterius Confessarij. Queritur. 1. Vtrum Mennas istud peccatum omnino tacere possit, ita vt nec in genere illius faciat mentionem? 2. Si Mennas prædictum peccatum ob iustam causam in Confessione taceat, an illius procurare debeat perfectam contritionem?*

Quoad 1. partem casûs propositi videtur, Mennam illud peccatum saltem secundùm

M m 3 generi-



genericam rationem confiteri debere, dicendo v. g. *feci peccatum mortale, & forte in genere luxuria, sed non memini in qua specie, scil. vt hic & nunc fatear.* Ita Cardinalis de Lugo de Pœnit. *Disp. 16. n. 532.* Dedicastillo de ead. Pœnit. *D. 9. n. 880.* & alij, quos refert & sequitur Diana *P. 11, Tr. 8, Resol. 45.* Mouentur. Tum quia omne peccatum mortale, cuius quis habet conscientiam, est explicandum in Confessione, si absque incommodo explicari possit, vt habet communis ex Trident. *sess. 14. c. 15.* Atqui Mennas habet notitiam peccati mortalis; & secundum genericam rationem eo, quod diximus modo, absque graui incommodo explicari potest. Ergo &c. Tum quia ex communi Authorum apud Layman *l. 5. Tr. 6. c. 18. n. 7.* peccatum mortale in genere est materia necessaria Confessionis. Atqui istud peccatum Mennæ secundum eam rationem, quâ explicari potest, est tale. Ergo &c.

Quoad 2. partem videtur, Mennam teneri ad perfectam contritionem, sicut tenetur Sacerdos, qui peccati mortalis sibi conscius vult celebrare, & non habet copiam Confessarij, vt habet communis DD.

Resp. 1. Mennam omnino tacere posse peccatum illud: nullam etiam in genere eius mentionem faciendo. Ita planè communis AA. apud Palao *Tr. 23. Disp. vnic. pun. 11. n. 3.* qui absolutè asserunt, quando necessitas ve-

get

get confitendi suo Parocho, cui sine graui periculo animæ, corporis, famæ, aut fortunarū proprio vel alieno peccatū aliquod significari nequeat, tunc, eo prætermisso, posse reliqua explicari, & absolutionem postulari. Ratio est. Tum quia integritas Confessionis materialis est de jure positiuo. Ergo non obligat in tali difficultate, cum lex Christi sit suauis. Tum quia incommodum excusans ab integritate materiali afficit peccatum, prout hoc indiuisibiliter se habet à parte rei. Ergo quoad totam rationem, non tantū quoad specificā, eximit illud ab onere confitendi. Tum quia periculum incommodi incurrendi manet, si sola etiam ratio generica exponatur. Nam statim Confessarius interrogabit de specie aut circumstantia tacita. Si ergo Mennas neget absolutè, confitebitur aliud peccatum, quàm fecerit: si restrictim, hocipsò præbebit occasionem suspicandi. *Atque hinc patet ad argumenta in contrarium.* Nam in primis confiteri tenemur quoduis peccatū mortale, cuius conscientiam habemus, si absque incommodo graui possumus, quod non est in præfenti casu. Deinde verum est, peccatum mortale in genere esse sufficientem materiam, sed non quouis in casu necessariā, quando scil. eximitur vel ratione specificæ rationis, cum qua vnum indiuisibile peccatum à parte rei constituit: vel ratione periculi, quod eti-



am in generica ratione spectatum adhuc habet, quorum vtrumque accidit in casu nostro: neutrum verò, si aliquis præcisè meminit peccati alicuius in genere à se commissi, non autem quale fuerit in specie; Vnde nulla est paritas.

Resp. 2. Mennam, si cætera confiteatur, non teneri ad contritionem perfectam illius taciti peccati. Ita ex communi Lugo Disp. 16. cit. num. 533. Ratio est, quia peccatum ex iusta causa tacitum habet se instar illius, quod ex inuincibili ignorantia non occurrit in Confessione; certum autem est ex Trident. sess 14. c. 5. hoc indirectè in Sacramento etiam per solam attritionem remitti. Ergo & illud. Ad rationem in contrarium negatur paritas, siquidem peccatum istud Sacerdotis celebraturi non remittitur vi alicuius Sacramenti. Ergo mirum non est, requiri ad hoc contritionem perfectam ante celebrationem: non autem in casu nostro.

LXIII. *Milus Sacerdos ob frequentes inter orandū distractiones subinde dubitat de tota hora, subinde de psalmo, an recitabit, quæ idcirco nō raro ex integro repetit, tandē verò pertasus scire cupit, an teneatur repetere. Quaritur, quid ipsi dicendū?*

Videtur teneri. Nam legi certæ eiusque obligationi non satisficit solutione incertâ & dubiâ, cum præsumptio stet pro lege contra libertatem. Ita Thom. Sanchez L. 1. in Decal.

ei 10, n. 12. Palao Tr. 1. D. 3. p. 7. n. 7. Arriaga in 1. 2. Tom. 1, D. 25. n. 11. & plures alij.

Resp. Cum Navarr. Tom. 2 operum de horis Canonici c. 13. n. 29, non teneri Milum repetere, modò non recordetur, se non dixisse, aut sciat probabiliter, se omisisse. Ratio est, quia ad deponendum dubium sufficit coniectura levis. v. g. quod meminerit aliquorum verborum, quæ continentur in illo psalmo, vel hora, & se incepisse, ac librum tenuisse. Ad hæc iudicandum pro libertate, quoties lex incommoda alicui vel molesta accidit, quantumvis stet pro illa præsumptio, ut cum alijs docet Salas in 1. secunda Tr. 8. disp. vnic. sect. 25. n. 295. Atqui incommodum & molestum accidit Milo præceptum de horis can: si propter dubium quoduis superveniens reperi debeat hora vel psalmus. Ergo pro libertate iudicandum, scilicet præcepto satisfactum esse. Vnde etiam Homobonus in Consult. Cas. Conscientia Vol. 2. p. 5. Resp. 210. prudenter ait, timoratos non bene facere iterum repetendo, & Confessarium hoc prohibere ipsis debere ad scrupolos cauendos. Atque ex his patet ad rationem in contrarium.

LXIV. Nemotius maritus carnaliter cognoscit Mosiam, probè conscius, hanc esse consanguineam vxoris suæ in secundo gradu, & accessum hunc specialiter ab Ecclesia esse prohibitum: ignarus interim, illum esse veritum sub tali pœna, quæ

Mm 5

iure

iure petendi debitum priuet. *Queritur. Virum impediatur à petitione debiti, & dispensatione indigeat?*

Videtur impediri & dispensationem requirere. Ita Henriquez *l. 11. c. 15. n. 11.* Basilius Pontius *l. 10. de Matr. c. 6. n. 12.* Mart. Perez *de Matr. D. 52. sect. 5. n. 6.* & plures alij. Mouentur. 1. Quia hæc ignorantia non excusat à culpa. Ergo nec à pœna, cùm hæc illum tanquam effectus causam suam consequi soleat. 2. Quia Deus & homines frequenter puniunt reos, etiamsi pœnam scelerum suorum ignorauerint, aliàs etiam excusarentur fortè non pauci ab inferno, quod eum non rescuerint. 3. Mulier interficiens virum suum, vt cum adultero suo contrahere possit, non euitat pœnam & impedimentum criminis, etiamsi istud ignorauerit, vt communis habet D.D. Ergo &c.

Resp. Nemo tium ob ignoratam pœnam commissi incestus non impediri inde à debiti petitione, adedque nec dispensatione indigere. Ita Palao *Tom. 1. Tr. 2. D. 1. pun. 17. n. 8.* & nonnulli alij, quos refert & sequitur Dian. *Part. 3. Tr. 5. Resol. 12.* Ratio est, quia pœnæ nouo iure ab Ecclesia statutæ non incurruntur ab ignorante illas inuincibiliter. vt tanquam probabilius docet Sanchez *in Decal. l. 4. Cap. 22. n. 18.* quod maximè verum est, & communiter conceditur ab alijs, si istæ pœ-  
nz

næ sunt extraordinariæ, & eas reus in seipso saltem priuatiuè debeat exequi, vt fit in proposito. Confirmatur. Censuræ Ecclesiasticæ etiam irregularitas non contrahuntur ab ignorantibus, vt communiter docent Authores. Ergo nec aliæ pœnæ Ecclesiasticæ similiter ignoratæ incurruntur.

*Ad 1. in contrarium.* Negamus consequentiam, cùm culpa non æquè ignoretur; nec inter hanc & pœnam ex natura rei sit connexio talis, qualem effectus naturalis cum sua causa habet. *Ad 2.* Dicimus Deum & homines punire facinorosos pœnis ignoratis ed, quod pœnæ istæ (etiam infernus respectu peccati mortalis) ordinariæ censeantur, & saltem in genere cognoscantur; scimus quippe malum puniri, & transgressores legum non esse immunes à pœna saltem ordinariâ. *Ad 3.* Negat Antecedens post Paludanum *in 4. Sent. Dist. 34. q. 1. n. 17.* & alios Baucius *in miscellaneis casuum Conscientiæ Tom. 2. Opusc. 1. q. 176.* ratus, impedimentum hoc invincibiliter ignoratum non incurrî: quia est ab Ecclesia impositum in pœnam delicti. Sed hoc difficile est, & graues habet sequelas, ideoque contrarium ex communi aliorum TT: dedimus *Cent. 2. cas. 54.* vbi etiam citatum Authorè adduximus, & disparitatè dedimus.

LXV. *Nicasius Aduocatus suscipit causam Lucij, quam tamen putat minus esse probabilem, quàm sit causa Luciolij, qui contra Lucium agit.*

Post

Post aliquod autem tempus certò cognoscit, inter partes contrarias Lucium scil. & Luciolum, causam huius esse probabiliorem, quàm illius. Et licet non videat Nicasius, vnde causa Lucij possit apparere vel equè probabilis, vel probabilior, quàm Lucioli; nihilominus pergit cause Lucij minus probabili patrocinari. Queritur. An licitè?

Videtur licitè agere. Ita Nauar. in Sum. c. 28. Azor. Tom. 1. l. 2. c. 17. q. vlt. Thom. Sanchez l. 1. in Decal. c. 9. n. 51. Salas, Less. Præposit. Layman, Palao & plures alij, quos refert & sequitur Diana P. 9. Tr. 8. Res. 42. Tum quia Aduocatus prudenter agit, dum sententiã ductus probabili patrocinatur. Tum quia Aduocati munus tantùm est, proponere fundamenta partis suæ, & Iudici examinanda relinquere. Tum quia Lucius in hoc casu potest per se ipsum agere. Ergo etiam per alium, & consequenter alius pro ipso.

Resp. Etsi hæc sententia magnam habeat probabilitatem tum ex autoritate, tum ex ratione adducta, probabilius tamen esse, Nicasium illicitè perrexisse patrocinando. Ita Valentia 2. 2. P. 5. q. 15. p. 14. Syluester V. Aduocatus q. 13. & nouissimè Arriaga Tom. 3. D. 24. s. 5. num. 27. Prob. 1. Nemo potest suã actione directè eò conuicti, vt alter iniquè aliquid committat, vt per se clarum videtur. Atqui in præsentī casu Nicasius directè id molire-

moliretur, vt Iudex iniuste aliquid decideret; quippe ageret, vt Lucius causam obtineret cum minore jure, certus pro Luciolo maius stare. Ergo &c. Prob. 2. Aduocatus in causa sanguinis, & amissionis omnium bonorum non potest patrocinari causæ minus probabili contra eam, quã certò cognoscit probabiliorem, vt Malderus, Martinez & alij docent apud Dian. P. 2. Tr. 13. Res. 4. cur hoc? profectò non aliam ob causam, quàm quod non liceat id moliri, vt Iudex iniquè contra illum procedat, pro quo maiora stant jura. Ergo cum hæc causa pro omni casu militet, nunquam Aduocato contra meliora jura partis aduersæ pugnare licebit. Confirmatur. Contraria sententia nec bono communi, nec salutis propriæ ipsorum Aduocatorum consulit; *non bono communi*, quia vehementer inde nutriuntur lites, dum Aduocati qualuis suscipiunt & producant causas, nunquam, vt sibi videntur, probabili ratione destituti: *non salutis propriæ ipsorum Aduocatorum*, quia hæc sententiæ benignitate præoccupati nõ declarant Clientibus suis causam Aduersariorum esse probabiliorem (ad quod tamen ex communi TT. sub peccato mortali tenentur) sed fere semper victoriam spondent, & spe deludunt inani, donec miseri isti Clientes & jure & rebus suis cum dolore videant se priuatos. Vnde Diana *loc. cit.* non veretur dicere, plurimos

inter  
cau-  
licet  
possit  
abili-  
Lucij  
in li-  
m. c.  
San-  
posse,  
ert &  
quia  
du-  
Ad-  
nda-  
elin-  
potest  
m, &  
abeat  
m ex  
e, Ni-  
Ita  
7. Ad-  
3. D.  
st suã  
è ali-  
letur.  
tè id  
olire-



mosex Aduocatis fœdè in peccata mortalia  
labi, æternúmque Aduocato Christo destitu-  
tos jure Cœli ac Beatitudinis priuari.

*Ad 1. in contrarium distinguimus; pruden-  
ter agit, qui probabili ratione ductus patro-  
cinatur, si non certò sciat, causam alienã esse  
probabiliorem suã, & nihil se contra jura me-  
liora effecturum, concedimus: secus, nega-  
mus. In proposito autem certò scit Nicasius,  
causam Lucioli Aduersarij esse probabilio-  
rem, & nihil se effecturum nisi contra melio-  
ra huius jura violata; quomodo ergo non di-  
rectè aget, vt ipsi res sua iniustè auferatur?  
Vnde ad 2. dicimus, Aduocatum, cui liquet,  
jura pro parte aduersa esse probabiliora, non  
amplius proponere merè fundamenta suæ  
partis, & Iudici relinquere examinanda, sed  
instare apud istum, vt iniustè decernat, quod  
procul dubio illicitum. Ad 3. negamus ante-  
ced. si enim omnibus adhibitis diligentijs  
tam constet Lucio, jura sua minora esse, &  
cedere juribus Lucioli, quomodo licitè am-  
plius instare contra istum, & petere aliquid  
contra meliora jura ausit?*

LXVI. *Nicerius debet Myseto trecentos flo-  
renos in signato auro ante triennium mutuo ab isto  
acceptos absque alia tamen conventionem. Nunc de-  
bitum suum expuncturus numerat eidem totidem  
florenos, sed in meris sestertijs, quos accipere recu-  
sat Mysetus solutionem in auro requirens, sicut de-  
bitum*

*bitum in eodem fuit contractum. Queritur. Vtrū Nicetius teneatur Mysero in auro satisfacere?*

Videtur teneri. Ita Bartolus in *Leg. 1. §. ult. ff. de auro & argento legato*; Panormitanus in *cap. quanto, de solution.* Covar. de veter. Numismat. collat. c. 3. §. vnic. & alij. Tum quia aliud pro alio, invito creditore, solui nō potest. *l. 2. §. 1. in fin. ff. de rebus creditis*. Tum quia mutuum eādē bonitate, quā datum est, eodemque genere reddi debet. *L. 3. ff. eodem*. Atqui hoc non fit, cū pro auro argentum restituitur; siquidem aurum multis partibus præstare argento, nemo ignorat. Tum quia Nicetius pro vino concessio non tenetur accipere frumentum, salem &c. vt fatentur omnes ex natura mutui & varijs iuribus. Ergo nec producat is sestertios.

Resp. Nicetiū, seclusā particulari cōventionē, satisfacere numerando trecentos florenos in quavis probata moneta argētea. Ita Fachinus *L. 2. Controuerf. c. 50.* Molin. *Tr. 2. D. 299. §. iura.* Rebellus *part. 2. L. 8. q. 1. Sect. 1. in fine.* Palao *Tr. 32. D. 4. pun. 1. n. 9. & alij.* Ratio est. Quia nobilitas materiæ acceptæ compensatur quantitate & valore pecuniæ solutæ; siquidem id, quod maximè in pecunia spectatur, est valor eius extrinsecus, & æstimatio. *L. 1. ff. de contrahenda empt.* vbi habetur: *eaq; materia formā publicā percussa vsum dominiūq; non tam ex substantia præbet, quàm ex*  
quan-

quantitate. & l. vnica. C. de argenti pretio, quod thesauris infertur, inquit Imperator, in publicis collationibus, liceat pro 20. libris aereis vnum auri solidum, & pro singulis argenti libris quinos aereos inferre.

Ad 1. & 2. argumentum in contrarium dicimus, in proposito non solui aliud pro alio, nec in diuersa bonitate & specie, cum in pecunia non materia illa externa, aurum scilicet & argentum, sed valor spectetur, indeq; eius substantia, qualitas, & bonitas aestimetur, ac sub ratione quantitatis ac valoris eadem pecunia in mutuum deducatur. Ad 3. negamus consequentiam; nam cum frumentum datur pro vino, res alterius generis dari censetur: non verò cum pro Ducatis dantur Sestertij, quippe tunc idem profus, quod datum est, redditur, nimirum valor seu aestimatio; siquidem nummi autem non differunt genere ab argenteis alijsue, si illorum substantia non ex materia externa, sed ex quantitate, valore, & potestate aestimetur.

LXVII. *Nimiam mulier maritata vouit in necessitate quadam quotidie in honorem B. V. MARIÆ recitare officium maius, & 150. Ave Maria, ac 15. Pater noster, si eius ope ex necessitate illa eriperetur. Sensit auxilium, ideòque votum suum confirmavit. Sed nunc non nisi valde languide & distractè debitum persoluit, & factæ promissionis omnino pertæsa rogat Confessarium, quem nouit habere*

habere potestatem vota commutandi, ut votum illud in aliud commutet. Annuir iste, & loco omnium, quæ vouit, quotidie ipsam audire Sacrum, recitare vnum Rosarium, & singulis mensibus sacram Communionem sumere iubet, quæ omnia Nimia ante votum editum sponte suâ facere solebat. *Queritur.* *Verum Confessarius rectè commutationem istam fecerit?*

Videtur malè illam fecisse. Tum quia nulli iusta adest causa huius commutationis faciendæ, quam tamen requiri, quando non fit in rem manifestè meliorem docent Laym. l. 4. Tr. 4. c. 8. n. 22. & communiter alij. Tum quia eadè commutatio non est in rem æqualem, ut patet, sine qua & euidencia huius æqualitatis non fieri commutationem, communiter docent DD. Tum quia si etiam commutatio esset in rem euidenter æqualem, non tamen posset fieri à simplici Sacerdote, ut docent Suarez Tom. 2. de Relig. l. 6. de voto. c. 19. n. 6. Sanchez, Layman, alij. Sed necessariò prouenire debet à iurisdictione in foro externo, cùm sit diminuta quædam dispensatio, & debiti remissio nomine Dei facta.

Resp. Confessarium rectè commutationem illam fecisse in votis Nimix. Ita Lesius L. 2. de Iust. c. 40. dubit. 16. n. 105. Sà, Henriquez, & alij. Probat. Confessarius etiam simplex potest cuilibet votum mutare in rem euidenter meliorem, aut etiam æqualem. At-

**N**

**qui**

quæ res, in quâ facta est commutatio, est euidenter melior, aut saltem æqualis priori. Ergo in hanc potuit Confessarius votum Nimmia mutare. Ma. de re euidenter meliore est certa apud omnes, cùm in omni voto intelligatur hæc conditio inclusa: *voueo hoc, nisi voluero promissionem hanc commutare in aliam DEO gratiorem.* Eandem Ma. de re euidenter æquali tenent citati Authores, cuius ratio est, quia Deus & Sancti non tantùm acceptant, gratumque habent, quod est melius, sed etiam quod est euidenter æquale. Ergo vtrumque ex illis duobus etiam post votum eligi potest, cùm ex neutro maior Dei utilitas accidat, vti subinde fit apud homines. Nunc etiam probatur Min. ex eo, quod melioritas vel æqualitas materiæ commutandæ non debeat spectari physicè, sed moraliter, vt ex communi docet Palao *Tr. 15. de votis. D. 2 p. 16. num. 4.* Vnde etiam Barthol. Berteau in *Directore Confess. de 2. præcept. Decal. pun. 4.* ait, non requiritur exactam aliquam determinationem pro materia commutationis; licet enim illa sit minor, quàm fuerit prior materia, si tamen sit gratior Deo, quia scilicet promptiùs & deuotiùs perficitur, pluris etiam æstimanda est. Sed res, in quam Confessarius votum commutauit, promptiùs à Nimmia suscipitur, deuotiùs persoluitur, constantiùs peragitur, ideòque DEO gratior accidit. Ergo non tantùm est

est evidenter æqualis priori, sed etiam meliore

*Ad 1, In contrarium* dicimus, non requiri causam pro commutatione in rem evidenter meliorem, vt docent communiter DD. imò etiam in evidenter æqualem, vt docet Villatobus apud Dian. P. 3. Tr. 5. Resol. 25. Sed esto requiratur, ea hñc non deest, nempe ardens petitio Nimmiæ, maius solatium, promptior & deuotior executio, quam sufficere, admittit ipse Lay: *loc. cit. num. 23.* *Ad 2.* patet ex dictis. *Ad 3.* Negamus, eam commutationem, quæ non est in rem minorem, sed evidenter meliorem, aut saltem æqualem, non posse fieri à simplici Sacerdote, cùm ad hoc non requiratur singularis potestas, hocipsò, quod non sit ablatio aut diminutio, sed tantum translatio voti.

LXVIII. *Ordonius vir Catholicus & illustris in bello nupero Sueco - germanico sæpè audiuit Hattonem Colonellum Suecicum mentionem facere de munitione quadam Catholicorum Regi suo per proditionem breui aquirenda. Quod malum, vt certò sciret, & pro posse suo impediret Ordonius, familiarior se exhibuit Hattoni, & in ades suas invitatum frequenti haustu ita vrsit, vt tandem ebrius secretum illud futura proditionis evomeret. Queritur. Licitè id fecerit Ordonius?*

Videtur licitè fecisse. Ita P. Lessius lib. 4. de virt. card. c. 3. dub. 4. n. 33. Mouetur. Quia licitum est ex communi fere DD. inducere

ad minus malum, & istud suadere ei, qui est iam determinatus ad committendum multò grauius. Atqui in proposito Ordonius nihil facit aliud. Ergo &c. Lessio fauet Diana P. 6. Tr 7. Res 43. vbi sententiam hanc probabilem censet.

Resp. Ordonium illicitè fecisse vrgendo Hattonem ad voluntariam ebrietatem. Ita præter alios P. Layman. lib. 3 f. 4. n. 6. Ratio desumitur ex regula hac communiter recepta. Nunquam licitum est, inducere aliquem ad actionem, quæ ita intrinsecè mala est, vt absque peccato fieri nequeat. Atqui voluntaria ebrietas voluptatis causâ facta, ita intrinsecè est mala, vt sine peccato fieri non possit. Ergo &c. Non refert, ebrietate hæc grauius impediri malum; quippe non sunt appetenda & facienda mala, vt eveniant bona; etsi permitti possint. Itaque in præsentī casu Ordonius propinare posset Hattoni fortissimum vinum, cuius ille virtutis ignarus esset, & ad hoc liberaliter bibendum inducere; quia tunc non induceret in formalem ebrietatem, sed materialem dūtaxat, qualem ebrietatem, quæ præter intentionem bibentis contingit, ideoque peccatum non est, causare in alio obdammum Reipubl. aut etiam vni tertio impediendum, optimè honestatur, vt rectè cit. Author. Sed dices, secundum hunc ipsum Authorem, posse aliquem scienter se inebriare ad mortem

mortem euitandam. Esto hoc. Quia iam nō fit istud voluptatis causā, sed ob alium honestum finem; quamuis illud contra Layman, Lessium & alios neget Wigger l. 2. de Temp. dub. 5. n. 26. de quo infra casu vlt.

Ad rationem in contrarium dicimus, tunc solum licitum esse, consulere minus malum parato grauius committere, si consulas minus malum, quā formaliter minus est, hoc est, si suadeas diminuere malum cogitatum, ne integre & in totum committatur; etenim sic rem honestam consulis, scilicet à grauiore malo defistentiam: Secus verò, si suaderes directè fieri id, quod in se malum est, etsi alterius grauioris comparatione sit leuius, quia consilium est de re iniquā, ac proinde iniquum. vt latè probat Palao tr. 6. D. 6. de scandalo. pun. 6. n. 12.

LXIX. *Osvwaldus rusticus in oppido Labost prope templum habitans subitā tangitur appoplexiā: & cum in mortis articulo constitutum se videt, mittit mox ad Parochum rogans, vt SS. Sacramentis munire se extremè decumbentem dignetur. Verùm Parochus tum temporis domi non erat, & nec ipse, nec vllus alius Sacerdos aut Clericus intra sex horas haberi poterat, ad quod spatium minimè eger victurus putabatur. Ne igitur Osvwaldus sine omni Sacramento moriatur, adiutus sciens pyxidem, & sacras aliquot hostias ibi clausas, clam eam ad egrum defert, & acceptā inde S. Hostiā Osvwaldum communicat, iterumq; loco*



*suo reponit. Queritur. Rectène adituus Laicus Osvaldum in extrema hac necessitate communicauerit?*

Videtur non rectè fecisse. Ita Sotus in 4. Dist. 13. q. 1. art. 3. ad fin. quem sequitur Lugo de Eucharist. D. 18. n. 22. quorum ille contrariam opinionem vocat intolerabilem: iste verò suam sententiam affirmat communem. Moventur. Tum Authoritate Conciliorum Niceni, Arelatensis, Carthaginensis & aliorum, quæ soli Diacono, urgente necessitate, hoc concedunt. Tum maximè vniuersali consuetudine Ecclesiæ vim legis habente.

Resp. Probabile esse, ædituum, secluso scandalo, deferendo & ministrando Sac. Eucharistiam Osvaldo in extremis constituto non peccasse, adeoque licitè egisse. Ita Suarez, Vasquez, Valent. Henriquez, Reginal. Filliucius, Coninck, Layman, Bonac. Sà, Lessius, Granadus, Præpositus, Tanner, Lezana, Leander, Escobar & alij, quos referunt & sequuntur Palao Tom. 4. D. vnic. pun. 17. n. 8. Diana. P. 9. Tr. 6. Resol. 39. & Dicastillo D. 16. de Euch. n. 92. Probat. Tum quia nullo iure diuino Laicis interdicta est Eucharistiæ ministratio: nec iure Ecclesiastico in extrema necessitate, qualis in casu ponitur. Tum quia olim moris erat, vt Laici in manus sumerent S. Eucharistiã, secumq; domum deferret pro sua commoditate sumendam, testaturque Euse.

Eusebius l. 6. Hist. c. 16. olim viros sanctos  
misisse viaticum per Laicos, urgente neces-  
sitate. Tum quia etiamnum licet Laico tollere  
& tangere S. Hostiam, quæ in terram deci-  
dit, cur ergo non liceat ædituo, eam deferre  
& ministrare moribundo? sicut sibi metipsi  
sanctè ministravit Maria Regina Scotiæ, an-  
tequam in Anglia Martyrium subiret; nam  
hic locum non habet c. peruenit de Consecratio-  
ne. Dist. 2. vbi prohibetur Laico S. Hostiam  
attingere, cedit quippe in tali euentu jus istud  
humanum præcepto diuino, quo fideles in ar-  
ticulo mortis communicare iubentur.

*Ad 1. in contrariū dicimus, inde non inferri,*  
Laicis denegatū hoc esse, sed solūm, non esse  
illis expressè concessum: at bene tacitè & in-  
terpretatiuè spectatā Ecclesiæ pietate. *Ad 2.*  
dicimus, de consuetudine non posse constare,  
quia hic casus rarissimus est, non occurrente  
autem casu, consuetudo contraria probari nō  
potest. Ad hæc argumentum hoc probat so-  
lūm, deesse aliquos viros doctos, qui noue-  
rint opinionem hanc: & prudentes homines,  
qui in angustijs id vel aduertant, vel dispo-  
nant in oppidis & pagis, vbi defunt Sacerdo-  
tes; aliàs dicam etiam, Diaconos licitè defer-  
re & administrare S. Eucharistiam non posse  
moribundo in defectu Sacerdotis, quia ipsos  
rarò aut nunquam videmus istud facitare, vt  
bene notat Dicastillo n. 93.

LXX. Philemon histrionum comœdias exhibet varijs modis sat lasciuas, & tamen permittit Magistratus, ac frequens accurrit populus ad spectandum. Queritur. 1. Vtrum Magistratus peccet permittendo? 2. Vtrum peccent spectatores? 3. Si aliqui non peccent ratione periculi, vtrum saltem delinquant ratione scandali, quatenus Philemonem & ceteros histriones ad turpia exhibenda excitant?

Videtur peccare mortaliter Magistratus permittendo. Ita Mendoza *de Spe & Charit.* D. 173. §. 377. Ratio est, quia malum publicum permitti non potest, nisi intuitu alicuius deterioris euitandi, quod in proposito non accidit. Ipsos etiam spectatores grauiter peccare, docet idem Auth. *D. cit.* §. 367. quia pretio suo histriones in malo suo statu fouent, alunt, conseruant; esto aliàs ex parte ipsorum spectatorum nullum adsit periculum.

Resp. 1. Magistratum non peccare, si solum permittat histriones ad aliquod tempus maioris alicuius mali euitandi gratiã. Ita Baldellus *Tom. 1. l. 3. D. 18. n. 13.* Ratio est, quia permissio hæc in finem licitum (euitandam scilicet maiorem populi licentiam) est solum tolerantia, qualis etiam habetur circa meretrices; nec enim approbatur, quod hoc modo toleratur. *cap. Meretr. 34. q. 4.* Resp. 2. eos, qui interfunt comœdijs ob solã curiositatem vanam, non peccare mortaliter, etiam si re-  
præsen-

praesententur res turpes. Ita Bonacina *de Matr.*  
q. 4. pun. 9. n. 21. post Sanchez, Filliuc. & alios,  
vt ait, communiter. Ratio est, quia, vt sup-  
ponitur, abest periculum lapsus: & delectatio  
non transit in rem repraesentatam. Resp. 3.  
Eisdem spectatores nō peccare ratione scan-  
dali. Ita Baldellus *loc. cit.* n. 11. Bardi *in select.*  
l. 9. q. 2. s. 15. n. 5. Ferrandinus *de scandalo.* D. 1.  
q. 64. n. 36. & alij apud Dianam tum alibi, tū  
P. 11. Tr. 5. Resol. 52. Prob. hāc fundamentali  
ratione. Quicumque non influunt & nō cau-  
sant ruina proximi, non committunt pec-  
catum scandali actiui, vt consentiunt omnes,  
& patet ex definitione scandali actiui, quod  
ex S. Thoma 2. 2. q. 43. art. 1. D. Hieron. &  
Glossa Matth. 18. definitur *opus minus rectum  
praebens proximo occasionem ruinae* scil: influen-  
do in hanc & causando eam. Atqui spectato-  
res soluendo pretium histrionibus non influ-  
unt in ipsorum actiones & verba turpia. Er-  
go &c. Prob. Min. Quandocumque malum  
aliquod ab altero iam omnino ad illud parato  
petitur, tunc nō fit influxus, nec datur causa  
illius mali à petente, vt praeter citatos docent  
Suarez *Tom. 4. in 3. part. D. 22. s. 4. n. 18.* vbi  
ait, non adesse circumstantiam scandali, si  
petas ab omnino parato, & Palao *Tr. 6. D. 6.  
p. 10. n. 3.* Sed Philemon eiusque socij histrio-  
nes sunt omnino parati ad exhibendas co-  
medias. Ergo auditores non influunt & non  
causant

Nā s

causant

causant actiones eorum malas, sed perinde se habent, ac si dicerent ad histriones illos; non cupimus, ut vestras exhibeatis comœdias sat obscœnas, si tamen ex hypothesi & vltaneâ mentis determinatione exhibituri sitis, siue hâc stante conditione, quod exhibere illas intendatis omnino iam determinati, hanc offerimus pecuniam, ut locum ad videndum concedatis. *Atque sic etiam patet ad rationes in contrarium.*

LXXI. *Polychronius vir nobilis & pius legavit p̄s locis omnes annuos redditus per decennium ex Iurisdictionibus A. & B cum obligatione Missæ perpetuæ. Iste Iurisdictiones vindicantur alteri domino. Queritur. Quid fiat hoc legato? An hæres alioquin diues ex alijs hereditatis bonis satisfacere teneatur?*

Videtur hæres non teneri. Tum quia legatum rei alienæ, quam testator ignorabat esse alienam, non valet, ut vniversim docet *Couarr. in C. filius noster. n. 4.* aut saltem, nisi legatarius sit persona coniuncta v. g. Vxor vel Consanguineus, ut cum plerisque alijs docet *Dicastillo de Iust. L. 2. Tr. 19 D. 2. n. 118.* Atqui præsens legatum est rei alienæ ignoratæ, nec fit personæ coniunctæ. Ergo &c. Tum quia quodocunque res, vnde præstatio legati fieri debet, ponitur in eadem oratione, & non in diversa, tunc deficiente re illâ, deficit eiusdem dispositio per legatum, & demonstratio

stratio ipsius vitiat legatum, vt ex Bartolo, Decio, Castro, & alijs Iuris Consultis docet Sanchez *L. 4. moral. Concil. c. 2. Dubit. 18. n. 2.* Sed in Casu nostro res, ( nimirum redditus annui ex Iurisdictione A. & B. ) vnde præstatio legati fieri debet, ponitur in eadem oratione; dicit enim Polychronius: *Lego huic loco pio omnes annuos redditus per decennium ex Iurisdictionibus A. & B.* Ergo re illâ deficiente, aut intereunte per vindicationem alterius domini, deficit & interit dispositio de eâdem. Ergo hæres ad nihil ultra tenetur.

Resp. Polychronij hæredem obligari pro redditibus annuis alteri domino vindicatis ad satisfaciendum ex alijs hæreditatis bonis. Probat. 1. Si Polychronius testator cogitasset, Iurisdictiones A. & B. alteri domino vindicandas, & redditus annuos ex eis impediendos, vero simillimum est, ipsum ex alijs suis bonis prouisurum fuisse. Ergo sicuti tunc aliunde fuisset prospectum, ita etiam nunc iudicandum, ex alijs hæreditatis relictæ bonis satisfieri debere. Argumentum hoc continet vniuersalem regulam, quam plurimum valere, & ex ea interpretationem à Iudice fieri debere, tum in alijs, tum maximè in dispositionibus ad pias causas, qualis est præfens, docet ex communi Authorum Aloysius Riccius in *praxi Tom. 2. P. 3. Resol. 364.* Confirmatur idem argumentum. Finis principalis in hoc casu est  
refrige

refrigerium animæ. Ergo cum anima cunctis bonis præferatur *L. Santimus. C. de Sacrosanct. Eccles.* Omnia bona testatoris censentur obligata pro refrigerio illo animæ procurando. Ergo, pereunte vno partiali bono in hunc finem designato, non tollitur obligatio, sed tantum transfertur quasi, & inhæret reliquis bonis restantibus. Probat 2. Polychronius testator prædictos redditus non reliquit pro mera Eleemosyna, sed pro onere missæ perpetuè dicendæ, quam veluti Beneficiū quoddam erexit & dotavit. Ergo cum talis dotatio habeat se ad instar dotis muliebris, & tacitam hypothecam inducat, vt præter alios docet Pax Iordanus *Volum. 2. Elucubrationum L. 10. tit. 7. n. 51.* obligatur hæres ex alijs Polychronij bonis, vtpote hypothecatis, satisfacere pro illis redditibus alteri domino vindicatis. Probat 3. Si testator leget 100. aureos pro missis 300. in aliqua Ecclesia dicendis, & stipendium Sacerdotibus præstandum augeatur, obligatur hæres, supposita hæreditatis capacitate, ex alijs bonis augmentum superaddere, & defectum supplere, vt docent August. Barbosa *de Potest. Episc. P. 2. Alleg. 29. n. 7. Diana P. 2. Tr. 14. Res. 17.* & plures apud hos. Ergo etiam in nostro casu tenetur hæres ex alijs hæreditatis bonis defectum seu interitum reddituum assignatorum pro missa perpetua supplere. Consequentia patet à paritate  
ratio;

rationum & circumstantiarum; nam 1. in utroque casu non dantur 100. aurei & reditus annui pro mera Eleemosyna, sed pro sacris dicendis. 2. in utroque casu hæreditas relicta est sufficiens ad defectum istum ex alijs bonis supplendum. 3. in utroque casu rationaliter & legitime præsumitur mens testatoris, quod scilicet non voluerit, unquam minui aut tolli missas, vel celebrari absque iusta recompensatione, sed potius statuerit, hunc defectum aut interitum suppleri ex alijs suis bonis, ut bene Riccius *loc. cit.* Ex quibus omnibus clarè habetur, designationem illam annuorum reddituum ex his Iuris dictionibus non esse *Substantiam* Legati, sed merum *modum*, unde recuperetur; modus autem etsi pereat, remanet tamen substantia, ut ad præsentem quæstionem ait Sanchez *loc. cit.*

*Ad 1. in Contrarium* dicimus ab hac doctrina, quam continet maior obiectionis, excipi legatum ad pias causas, ut docent Anton. Gomez Tom. 1. *Variarum Resol. c. 12.* Cardin. de Lugo *de Iustit. D. 24. n. 266.* & alij communiter. Atqui legatum in nostro casu est ad pias causas. Ergo excipitur.

*Ad 2.* Supponi in Minore, quod non probatur, scilicet in vna eademque oratione totum legatum contineri, de quo consulendæ sunt ipsæ litteræ. Interim dato hoc, non concesso. Distinguitur Mai: cū Riccio & Sanchez



*loc. cit.* Si aliunde mens & intentio testatoris nō legitimè & sufficienter cognoscatur, cōceditur: secus negatur. In proposito autē mentē & intentionem Testatoris in contrarium legitimè & sufficienter aliunde cognosci, ostendunt abundè allatæ rationes. Quare Molina *de Instit. Tom. 1. Tr. 2. D. 196.* ait, ex coniecturis & fundamentis allatis non tantū in foro interno, sed etiā externo præsumendū, & à Iudice decernendū esse, testatoris volūtatē fuisse, vt, si præter opinionem res legata cognoscetur aliena, ideòque ab altero Domino vindicaretur, tantūdem ex alijs suis relictis bonis substitueretur.

LXXII. *Popo vir quidam nobilis ac diues, dum nuper in syluis oberrat, manifesta indicia metalli deprehendit. Conuenit ergo mox Dominum fundi, nullaque eius, quod deprehenderat, mentione factâ ab eodē emit communi pretio fundum illum; in quo empto vix incipit fodere, statim diuitem venam metallicam inuenit, ac longè maximum inde lucrum eruit. Queritur. Vtrum Popo communi pretio emere potuerit fundum, in quo solus nouit latere venam metalli?*

Videtur non posse. Ita Vasquez, Turrianus, & alij, quos refert & sequitur Diana *part. 9. Tr. 5. R. 17.* Tum quia non seruatur æqualitas inter rem venditam & pretium, cum illa non tantū duplo (vbi tamen iam locū habet *l. 2. C. de rescind. vend.*) sed centuplo, imò mille-

millecuplo huic præstat. Tum quia Dominus fundi ignorat hanc venam metallicam. Sicut ergo ab ignaro rustico non potest emi gemma vili pretio, ita nec in proposito vena metallica. Tum quia dolus suus nemini, adeoq; nec huic emptori debet prodesse. *l. r. ff. de dol.* Tum quia venæ metallicæ per se sunt magnæ æstimationis, Ergo non cedunt vilissimo fundo, & in pretio huius comprehenduntur, sicut nec pictura Apellis aut Parrhasij venit in accessione & pretio vilissimæ tabulæ.

Resp. Poponem communi pretio emere potuisse fundum, in quo nouit latere venam metallicam. Ita apertè Cardin. de Lugo *de Iustit. D. 6. n. 128.* & hoc teste consequenter ij, qui hoc asserunt de thesauro latente in alieno fundo, quos in magna copia allegat *n. 126.* Ratio fundamentalis est, quod pretium illud commune sit iustum; nam pretium rei iustū non sumitur præcisè ex maiori rei utilitate, sed communi hominum æstimatione. Atqui fundus ille, in quo vena metallica latet, iuxta communè hominum æstimationem plus non valet. Ergo pretium est iustum, & hoc soluto Popo implet officium emptoris, non secus ac Pharmacopola, dum fascem herbarum communi pretio emit sciens aliquã ex illis magnæ esse utilitatis, quæ venditorem latet.

*Ad*

*Ad 1. argumentum in contrarium negamus;*  
 non seruari æqualitatem inter rem venditam  
 & pretium, quia maior illa vtilitas fundi soli  
 Poponico cognita non auget eius apud homi-  
 nes æstimationem, quæ est immediata regula  
 & mensura pretij iusti & humani; vnde eti-  
 am hîc non habet locum *cit. l. 2. ff. de rescind.*  
*vend.* cum vena illa adhuc latens in hoc statu  
 plus non valeat. *Ad 2. distinguimus, Do-*  
*minus fundi habet ignorantiam rei venditæ,*  
*negamus:* scit quippe se vendere fundû cum  
 omnibus iuribus ad venas metallicas, thesau-  
 ros latentes &c. habet ignorantiam vtilitatis  
 talis fundo de facto ad hærentis, esto; hoc  
 enim non impedit iustam emptionem com-  
 muni pretio factâ, vt patet in exemplo Phar-  
 macopolæ supra adducto. Aliud est de gem-  
 ma ignari rustici, siquidem vile pretium pro  
 illa numeratum non est iuxta communem ho-  
 minum æstimationem, ac proinde non iustum.  
*Ad 3. Negamus, Poponem in proposito casu*  
*dolum commisisse, cum cuilibet jure concess-*  
*um sit, vt fundum vtilitatis suæ, adeoque eti-*  
*am thesauri & metalli eruendi gratiâ sibi*  
*comparare queat. Non obstat, quod depre-*  
*hensam in fundo venam metalli non indica-*  
*uerit Domino, siquidem ad hoc non teneba-*  
*tur. Ad 4. dicimus, venas metallicas, dum*  
*patent, esse quidem magnæ æstimationis: at*  
*verò quamdiu latent, non augere æstimatio-*  
*nem*

nem fundi, quia eadem res adhuc latens multò inferioris est pretij, quàm iam patens. Cæterùm quantumvis venæ metallicæ iam patentes magnæ sint æstimationis, possunt tamè nihilominus esse partes fundi, & metalla fructus quidam, quod secus est de pictura, in qua nec colores, nec artificiū sunt partes, aut fructus tabulæ, vt præter alios bene Lugo *Disp. 6. tit. num. 107.*

LXXIII. *Prilidianus Turca in nupero bello contra Imperatorem Rom. captus, diùq; inter catholicos detentus ex varijs colloquijs de fide Christiana valde erga hanc affici cœpit, eam tamen nō suscepit, sed liberatus mox in Turciam redijt; vbi post exiguum tempus extremè decumbens unum Christianum captivum clam alijs ad se vocat, ab eoque baptizari petit, probè iam se instructum affirmans; at iste Christianus nomine hoc indignus, & perversæ mentis homo noluit, nisi pro baptismo collato certa pecuniæ summa penderetur. Prilidianus avaritiam hanc in Christiano obstupescens spontet pecuniam istam, attamen solùm ad redimendam vexationem, aliàs fortè nec baptizandus, nec saluandus. Queritur. Vtrum licitè fecerit hoc Prilidianus?*

Videtur illicitè fecisse, ita pleriq; *TT. cum S. Thoma 2.2. q. 100. art. 2.* Ratio est. Tum quia cooperatus est Simoniaco animo baptizanti. Tum quia per pecuniam aperuit & præmuniuit viam ad spirituale, quod in se nihil aliud

aliud videtur, quàm emere spirituale. Tum quia sic etiam liceret redimere vexationem ab eo, qui beneficium Ecclesiasticum non nisi animo Simoniaco dare vellet, quod cum S. Thoma *loc. cit. ad 5.* negant communiter DD.

Resp. Prilidianum licitè fecisse. Ita P. Greg. de Valentia, *Tom. 3. d. 6. tr. 16. p. 3.* Henriquez, Richardus, Maior, & præter alios Binsfeldius *in cap. 9. de Simonia q. 3. conclus. 3.* Probat. Tum quia Prilidianus non dat pecuniam tanquam pretium rei spiritualis, hoc est, tanquam id, quod tanti æstimat, quanti spirituale: sed dat solummodo tanquam motiuum quoddam ad remouendam iniuriã eam, quæ obstat consecutioni spiritualis. Tum quia, quando subest causa rationabilis, nihil aliud fit, quàm quod negligatur peccatum alterius propter vtilitatem, quæ expectatur ex spirituali, quod quis vel sibi vel alteri procurat. Sed certum est, licitè negligi peccatum proximi, quando subest eiusmodi causa rationabilis, vt ostendunt TT. in eo, qui petit ab usurario mutuum, & soluit ei vsuras. Clarũ quoque est, Prilidianum grauissimam habere causam negligendi tunc peccatum alterius, atque ad eò procurandi per vexationis redemptionem baptismum ab illo, etiamsi in accipienda pro eo pecunia, & eodem conferendo Simoniacè sit peccaturus; nam quis certus esse potest, an veram ac talem contritionẽ habeat, quæ

quæ sine Sacramēto ad salutem sufficiat? cūm nemo sciat, an odio vel amore dignus sit Eccles. 9. vt quiuis de sua dispositione timere meritò debeat.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, Prilidianum nō fuisse cooperatum Simoniacō animo baptizanti, sed huius peccatum propter vtilitatem, imò necessitatem iure neglexisse, mereque permisisse. *Ad 2.* obligationem pecuniæ fuisse merā redemptionem vexationis pro tuendo optimo ac necessario iure, quod Christus concessit omnibus ad Sacramentum salutis necessariū, imò efficax tutissimumq; remediū. *Ad 3.* negamus sequelā; quia tunc talis redemptio non esset vtilis, siquidē, vt ait Valentia, debet assignari beneficium. Non obstat S. Thom. allegatus; etenim loquitur solum de casu, in quo pecuniā datur tanquam pretium rei spiritualis; non tanquam merum motivum ad remouendam iniuriam, quæ obstat.

LXXIV. *Primitius Sacerdos ex sac. Ordine Carmelitarum legit in vita S. Theresie Virginis ac Matris suæ saepe saepius eam orasse pro infidelibus conuertendis, idque vehementer placuisse DEO; quod imitaturus non tantum frequenter in eum finem preces fundit, sed insuper Sacra, quotquot à certa obligatione habet libera, pro iisd. infidelibus conuertendis offert. Queritur. An licite, rectèq; faciat?*

Oo 2

Vide-

Videtur malè facere. Ita Gabriel, Sotus, Azor, Valquez & alij, quos refert & sequitur Palao Tr. 22 D. vnic. p. 5. n. 4. Prob. 1. Auctoritate Concil. Bracharenf. 1. ca. 35. expresse hoc tradentis. Chrysoftomi hom. 69. ad pop. Antioch. D. Thomæ 3. part. 9. 70. art. 7. ad 2. & aliorum Patrum, è quibus D. August. L. de anima & eius origine: c. 9. quis enim, inquit, offerat Corpus Christi, nisi pro ijs, qui sunt membra Christi. Prob. 2. ratione. Tum quia pro ijs solùm instituit Christus Eucharistiam in valorem sacrificij, pro quibus in ratione Sacramenti: item ijs solùm communicari potest effectus sacrificij, quibus ipsum Sacramentum. Atqui Christus Eucharistiam in ratione Sacramenti instituit solùm pro Fidelibus, & his solùm Sacramentū Eucharistiæ communicari potest. Ergo Eucharistia in valorem sacrificij solùm est pro fidelibus: & istis solùm communicari potest effectus eiusdem sacrificij. Tum quia si sacrificium Missæ effectum ex opere operato habere potest in non baptizatis, cur Ecclesia Cathecumenos peractis precibus & finito Euangelio abesse iubet, ne oblationi, consecrationi, & sumptioni intersint? Interim concedunt isti Authores, indirectè infidelibus prodesse sacrificium, & sic pro ijs offerri in quantum directè offertur pro bono fidei & Ecclesiæ augmento, quod non nisi ex infidelium conuersione obtinetur.

tur: item quemlibet Sacerdotem proprio nomine sacrificium pro infidelibus offerre posse. Solùm ergo quæstio est, vtrum Sacerdos nomine Christi, & maximè Ecclesiæ sacrificium offerre possit pro infidelibus, vt illis prosit non immediatè & ex opere operato (sic enim ex communi DD. infideles non suat capaces effectûs sacrificij) sed mediatè, dum Sacerdoti hæc sit gratia, vt aliquod etiam donū spirituale infidelibus ex opere operato conferatur, pro quibus ille sacrificium obtulit. Iuxta hunc ergo sensum.

Resp. Rectè licetque facere Primitium. Ita Card. Bellarm. l. 2. de Missa c. 6. Henriquez, Suarez, Saa, Coninck, Card de Lugo, & alij plures, quos sequitur nouissimè Arriaga Tr. de Euch. D. 42. à num. 6. Probat. Tum ex Script. 1. *Timoth.* 2. v. 1. vbi præcipit Apostolus, *orationes, & obsecrationes fieri pro omnibus, specialiter pro Regibus, tunc temporis infidelibus;* at vna ex præcipuis orationibus est deprecatio, quæ fit medio sacrificio oblato. Tū quia plures Patres apud citatos relati testantur, orationes & oblationes pro infidelibus fieri. Idem expressè habet textus in cap. *Apostolicam Sedem de Presbytero non baptizato, & liber, cui titulus est, Ordo Romanus;* eoipsò autem, vt bene Arriaga n. 9. post Lugonem & alios notat, quod Ecclesia Romana eum ritum tam diu serauerit, clarè euincitur, nihil



hil in eo falsitatis contineri, ac proinde illum etiamnum reuerâ vtilem esse. Tum quia sacrificium Crucis pro ijs omnibus fuit directè oblatum; fuit quippe vniuersaliter omnium redemptio & satisfactio. Ergo & sacrificium Missæ, quod idem est, offerri pro omnibus potest, vt sic vnū sacrificium cum altero convenientiam habeat. Tum quia in lege antiqua offerebatur sacrificium directè pro infidelium conuersione, vt patet *ex 1. Machab. 12. & 2. Mach. 3.* Cur ergo & nostrum multò illis præstantius prodesse iisd. infidelibus non possit? Tum quia infideles indigent ad fidem conuerti, quam conuersionem tum orationibus tum sacrificijs procurare non minus Deo gratum, quàm christianæ pietati conforme esse videtur. Ergo non est illicitum. Tum quia in die Parasceves Ecclesia specialiter orat pro Cathecumenis & infidelibus; & in quotidianis Missis offert Calicem pro nostra & totius mundi salute. Tum denique quia, dum Sacerdos offert sacrificium pro infidelibus, & exauditur, inprimis fit ipsi gratia, qui vtique est immediatè capax fructûs sacrificij; mediatè verò alteri, pro quo illud offert; si autem ita mediatè sacrificium prodesse potest creaturis irrationalibus, vt frugibus terræ, pecoribus &c. cur non magis infidelibus? esto isti non sint immediatè eius fructus capaces?

*Ad 1. in contrarium dicimus, Concilium*  
Bracha-

Bracharense prohibuisse pro infidelibus offerri sacrificium in pœnam, quod illi tam diu distulerint baptismum: vel certè vt terrerentur alij, ne tam diu differrent. In quem sensum intelligendus Chrysostom: & alij Patres, si quando contrarium sentire videntur. S. Augustinus loquitur de oblatione per modum suffragij, quo modo utique non sunt capaces sacrificij, nisi qui sunt membra, hîc autem sermo est de impetratione. Ad 2. negando Maiorem; quia Eucharistia in ratione sacrificij vniuersalior est iuxta naturam sacrificij Crucis, vt dictum est. Cæterùm Cathecumeni exesse jubentur post Euangelium dictû, quia offerre non possunt cum Sacerdote, siquidem soli baptizati huius sint capaces, vt rectè Lugo, Arriaga & alij.

LXXV. *Quirina vxor aperit viro suo Quirino, se fictè contraxisse matrimonium cum ipso, aut aliud impedimentum dirimens habuisse, ideoque discedere ab illo velle, quo audito, Quirinus valdè commouetur, & mox ad Confessarium accurrens scire ex ipso cupit, num credere vxori teneatur. Queritur. Quid dicat Confessarius Quirino faciendum?*

Videtur dicendum, ipsum teneri credere vxori asserenti, si maximè iuramento id confirmet. Ita Tabiena *Matrimonium* 2. q. 7. n. 8. Nam mendax & periurus nemo præsumi debet. Ergo non poterit negare consensum

Quirinus uxori tam sincerè se statumque suum aperienti.

Resp. Confessarium dicere posse Quirino, ipsum non teneri fidem habere uxoris dicto, nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ id moraliter certò persuadeant, Ita Valent. Navarr. Rebellus & alij, quos referunt & sequuntur Sanchez L. 2. de Matr. D. 41. n. 52. & D. 45. n. 3. Bonac. de Matr. Q. 4. p. 4. n. 19, & Dicast. de Sacram. Tr. 10. de Matr. D. 9. n. 177. Sumitur tum ex Cap. per tuas, de probat. Vbi dicitur, *nimis indignum est iuxta legitimas sanctiones, ut, quod quisque suâ voce dilucidè protestatus est, valeat proprio testimonio infirmare.* Tum quia verosimilius est, Quirinam modò mentiri, quàm fuerit mentita in contractu principali, cum verè consentire, & absque impedimento contrahere videri vellet. *Dixi nisi aliæ circumstantiæ &c.* his enim præsentibus tenetur credere, & abstinere se ab omni carnali contactu; quales autem illæ sint, explicant Sanchez & Dicast. *loc. cit.* Breuiter, debent esse tales, quæ virum prudentem moraliter certum reddere possint de ficto consensu, aliòue impedimento, in hac enim re certitudo metaphysica haberi nequit.

Atque ex his patet ad rationem in contrarium, scilicet verum non est, Quirinum credere posse uxori, nisi aliæ circumstantiæ & coniecturæ accedant; illa enim simplex assertio  
non

non inducit virum prudentem, ut in re tam graui plenam fidem habeat, sibi que persuadeat, coniugem grauius quidem in contractu matrimoniali decepisse: in hac autem iurata assertione non decipere.

LXXVI. *Sigismundus subito morbi impetu in eum statum conicitur, ut nec signum doloris dare, nec Sacramentum vllum petere possit. Vocatur nihilominus Parochus loci à familiaribus, rogaturque, ut cum morte luctanti saltem Sacramento extremae Vnctionis succurrat, qui negat fieri hoc posse, cum Sigismundus vix amplius sit rationis capax, & prius hoc Sacramentum nullo signo petiuerit, ut ut alias tanquam bonus Christianus vixerit. Queritur. Vtrum Parochus rectè Sacramentum extremae Vnctionis negauerit?*

Videtur rectè negasse. Nam Sacramentum Pœnitentiæ non potuit Sigismundo in illo statu ministrari, Ergo nec extremae Vnctionis.

Resp. Parochum malè & ignoranter Sigismundo moribundo negasse Sacramentum extremae Vnctionis. Ita ex communi DD. Barbosa *de Offic. Parochi. c. 22. num. 11. & seq.* Nam qui Christianus est, & vult in Ecclesia viuere & mori, vult etiam eius Sacramentis debito tempore iuuari, quam voluntatem Ecclesia præsumit de omnibus, qui signa pœnitentiæ suo tempore exhibuerunt; quippe qui non probatur malus, bonus præsumi debet.

Oo s

Atqui

Atqui Sigismundus fuit Christianus, & voluit in Ecclesia viuere & mori, cum aliud de ipso probari non possit. Ergo voluit etiam eius Sacramentis in articulo mortis iuuari. Ergo Parochus malè & ignoranter ipsi negauit salutem Sacramentum extremæ Vnctionis, cum nec actualis aduertentia, nec expressum signum doloris & deuotionis requiratur, vt rectè P. de Dicastillo Tom. I. de Sacram. Tr. 8. D. 1. n. 144.

*Ad rationem in contrarium* negabunt multi Authores antecedens, quorum sententiam, quò minùs Parochus in praxi tutò sequeretur, nulla ipsi lex obstitit. Nos conformiter ijs, quæ diximus cent. 1. casu 81. negamus Consequentiã cum Card. de Lugo de Sacram. in Gen. D. 9. n. 122. quia Sacramentum pœnitentiæ ex speciali ratione continet iudicium, quod inchoari nequit, si non sit, qui causam deferat, vti fit in proposito, & pluribus ostendimus loc. cit. secus autem se res habet in extrema Vnctione, ad quam voluntas tam specialis & propinqua non requiritur, vt promde sufficiat generalis illa, quâ quis ex vi professionis Christianæ Sacramenta recipere in tali statu velle censetur.

LXXVII. *Sylvius homo rusticanus sepe abit in syluas spectantes vel ad priuatos quosdam dominos, vel ad alienam communitatem, cuius ipse non est pars, & ex his ligna cedit, secumq; auecta vendit.*

*dit, ut comparato inde pretio necessitatibus suis domesticis occurrat. Queritur. Vtrum Syluius peccet, teneaturque ad restitutionem?*

Videtur peccare & ad restitutionem obligari. Ita ex communi Bonacina *de Restitut. D. 1. q. 3. pan. 7. n. 27.* Ratio est, quia Syluius sic lignans vsurpat sibi rem alienam. Ergo furtum committit. Ergo ad restitutionem tenetur.

Resp. Probabile esse, Syluium in alienis syluis non circumseptis absque deuastatione & immoderata strage ligna cedentem & auentem non peccare, saltem mortaliter, nec teneri ad ullam restitutionem. Ita Bannez 2. *Quaest. 62. art. 3. dub. 4. conclus. 2. & 3.* Salonijs, Ledesma, & plures alij Dominicani, quos refert, & eorum opinionem probabilem censet Dedicastillo *de Iust. Tr. D. 9. n. 357.* Ratio est, quia eiusmodi syluæ ab initio non aliâ lege fuerunt concessæ communitatibus, aut priuatis dominis, quàm ut ipsis liceret in illis lignare impune, non item alijs, citra maiorem tamen obligationem vel peccati contrahendi, vel restitutionis faciendæ, nisi deuastationem aut stragem maiorem facerent, ut sic aliquod foret discrimen inter arbores frugiferas & syluestres, cum enim istæ singulari culturâ non indigeant, sicut illæ, sed eas humus suâ sponte procreet, non decuit, ita has Syluestres arbores appropriari vni, ut nullo modo

do frui iisdem possint cæteri. Secus se res habet, si prædictæ sylvæ sint circumseptæ, vel proprio alicuius labore plantatæ, aut si ligna ab alio iam fuerint cæsa, & in struë coniecta, quia hâc ratione tam ipsæ sylvæ, quàm ligna in eis cæsa sufficienter iam censentur alicui appropriata, vt absque iniuria Domini auferri ex illis aliquid nequeat.

*Ad rationem in contrarium distinguimus.* Syluius vsurpat sibi rem alienam, cuius nullum habeat vsu absque iniuria alterius & obligatione restitutionis, negamus: absque pœna, si in hoc vsu à domino deprehendatur, esto; hoc enim non sufficit, vt dici possit, grauitè peccare, & obligari ad restitutionem.

LXXVIII. *Simplicius vir rusticanus in necessitate ita graui versatur, vt pro se, familiaque sua congruam sustentationem non habeat. Retinet ergo decimas, nec causam necessitatis suæ Parocho explicat. Queritur. Vtrum in hac rerum penuria constitutus licitè solutionem decimarum omit-  
tat?*

Videtur non facere hoc licitè. Ita post Ioannem Andream, Abbatem, & alios Henricus Canisius *de decimis c. 5.* Qui solùm extremam necessitatem excipiunt, quia extra hanc Simplicius nō habet ius ad eas decimas subtrahendas.

Resp. *Simplicium in graui necessitate & defectu*

defectu congruæ sustentationis constitutum licitè retinere decimas, etiamsi necessitatem hanc suam parochi non aperiat. Ita Suarez Tom. 1. de Religione Tr. 2. L. 1. c. 16. n. 16. & 18. Lay. L. 4. Tr. 6. c. 3. n. 6. Palao Tom. 2. Tr. 10. Diss. vnic. pun. 11. n. 2. & alij. Ratio est. Tum quia præceptum de solvendis decimis est merè Ecclesiasticum. Ergo credibile non est, piam Ecclesiam velle, vt à fidelibus tanto rigore decimæ exigantur. Tum quia vniversim solutio debiti differri potest ob grauem necessitatem debitoris, vt ex communitenet Lessius l. 2. de just. c. 16. n. 141. imò Palao Tom. 7. de just. Tr. 32. D. 1. pun. 17. §. 2. n. 2. cum non paucis Theologis doctet, in graui etiam necessitate debitum penitus extinguere, & non minus in hac, quàm in extrema egestate omnia esse communia; quæ certè verosimiliora sunt in debito decimarum, cum hoc, vt diximus, non ex jure naturæ, sed lege tantùm Ecclesiæ proficiscatur. *Atque ex his patet ad argumentum in contrarium.*

LXXIX. *Siridion Sacerdos & in arce quadam iunioribus Comitibus præfectus aduertit in prædicta arce fieri quadam ex ignorantia inculpabilè tam contra jus naturale, quàm posituum, quæ licet ad ipsum non spectent, neque in graue tercij detrimentum vergant, quia tamen admonitionem vtilem fore arbitratur, anxius hæret, num errorem detegat. Queritur, Vtrum Siridion ea, quæ*



*ex errore inuincibili in arce illa contra diuersas leges committuntur, corrigere debeat?*

Videtur non teneri. Ita Bonac Tom. 2. D. 3. de Charit. Q. 4. pun. 7. n. 10. Tanner Tom. 3. D. 2. Q. 5. dub. 4. n. 77. Quiedo in 2. P. D. Thom. Tr. 5. Controuers. 2. pun. 3. n. 29. & 30. & alij, è quibus plerique tantum de iure naturali & diuino loquuntur. Mouentur. Tum quia homines illi non sunt absolutè in statu spiritualis miseræ, cum non peccent. Tum quia præceptum correctionis est de peccato proximi iuxta illud Lucæ 17. Si peccauerit in te &c. Ergo ubi non adest peccatum, non est obligatio.

Resp. Siquidem teneri homines in prædicta arce diuersas leges transgredientes monere, si ex monitione fructus speretur, siue ignorantia sit juris naturalis, siue positui, etiam si ex officio peculiariter non obligetur. Ita Thomas Sanchez D. 38. L. 2. de Matr. n. 5. & post alios Palao Tr. 6. de Charit. D. 3. pun. 5. n. 3. Ratio est. Tum ob reuerentiam ipsarum legum. Tum quia illa ignorantia absolutè malum quoddam est, esto nõ imputetur culpa. Ergo est materia doctrinæ vel correctionis, & obiectum spiritualis eleemosynæ. Tum quia ex transgressione materiali facilis est transitus ad formalem. Ergo si potest Sirdion hoc periculum auertere, cur non faciat? Tum quia si violatores legum non corrigit, dum

dum potest, tacitè denotat, approbare se eam transgressionem, & sic scandalum præbet. *Atque ex his patet, ad correctionem inuincibiliter errantis magis teneri Superiores, Parochos, Confessarios &c. vt communiter docent DD. quia ratione officij tenentur 1. subditos instruere in obseruatione præceptorum 2. procurare, ne alijs scandali occasionem præbeant. 3. Impedire, ne alij intelligant subditorum errores se approbare &c.*

*Ad 1. in contrarium dicimus, esto homines illi non sint absolutè in statu miseræ spirituales, sunt tamen in graui huius periculo. Adde alia esse capita, ex quibus obligatio surgat, vt ex dictis patet. Ad 2. distinguimus, est de peccato formali vel materiali proximi, item de peccato, vel proximo huius periculo, concedimus: de ipso peccato formali tantùm negamus.*

**LXXX.** *Sueno insignis ac diues adolescens cogitat certum aliquod monasterium ingredi, iamque ab Abbate huius spem admissionis certam habet, quod aduertens Gerebernus eius Paterfamilias nihil non tentat, quibus eum ingredi volentem à proposito reuocet, & generum suum faciat, ac tandem etiam istud assequitur; quo intellecto Abbas vehementer conqueritur, & Gerebernũ tam peccati mortalis, quam restitutionis reum pronunciat. Queritur. Vtrum Gerebernus impediendo Suenonem à Religionis ingressu peccatum mortale*

*commiserit, & obligationem restitutionis monasterio faciendæ contraxerit?*

Videtur Gerebernus mortaliter peccasse. Ita M. Nauarr. *in Man. c. 12. n. 44.* Diana P. 11; Tr. 3. Res. 22. & hoc teste communis aliorum, Quia læsit charitatem erga proximum in re valde graui; & cum inde Monasterium non leue patiatur damnum, vtique etiam huic insuper compensationem facere tenebitur.

Resp. 1. Si Gerebernus ex iusta causa disuasit Suenoni Religionem, & ad matrimonium potius induxit, non peccauit vlllo modo, nec ad vllam tenetur restitutionem. Ita ex communi omnium Wiggers de just. Tr. 4. c. 3. d. 4. num. 9. vbi plures tales iustas causas recenset, nec de hoc est inter Catholicos dissensio. Itaque

Resp. 2. Si illud absque iusta causa, atamen citra vim & fraudem fecit, proponendo v. g. honores, diuitias, voluptates in sæculo; & oppositam in Monasterio vilitatem, pauperiem, molestiam, difficultatem &c. nondum peccauit saltem mortaliter. Ita expressè Filliucius Tom. 2. Tr. 32. c. 6. n. 171. & Constantinus à Castro Mortariano apud Dian. *loc. cit.* Ratio est. Tum quia per hæc Suenoni nulla vis aut fraus est facta, sed voluntariè seposito Religionis desiderio matrimonium iniuit. Ergo Gerebernus legem charitatis grauitè non læsit, sed citra venialem culpã ejus actio stetit.

stetit. Tum quia Monasterium nullum adhuc  
ius acquisiuit in Suenonem. Ergo nec iniuria  
ipsi est facta compensationi obnoxia.

Resp. 3. Si Gerebernus vi aut fraude Sue-  
nonem abstraxit ab ingressu ad Monasteri-  
um, peccauit mortaliter, & tenetur restituere  
Monasterio, quanti æstimabitur emolu-  
mentum temporale ex ipso prouenturum,  
consideratis tamen circumstantiis, per quas  
illud emolumentum poterat impediri. Ita  
comūnis Authorum apud Dedicastillo *Tr. 2.  
de just. D. 7. dubit. 2.* Ratio est. Quia vis &  
dolus sunt contra iustitiam, siquidem quiuis  
habet ius, ne per vim & fraudem impediatur  
à consecutione bonorum. Cum ergo ius istud  
in re graui læserit Gerebernus, peccauit mor-  
taliter, & tenetur illud resarcire Monasterio,  
eo, quo diximus modo: Suenoni verò vim  
ac fraudem auferre, si quæ adhuc lateret, &  
bono salutis, quod per propositum assumen-  
dæ Religionis intendit, obstare posset; item  
obligatur reparare damnum, si quod aliud ex  
iniusta illius suasionem passus est, & reparari  
potest, vt rectè cum aliis Lugo *D. 9. de just.  
num. 28.*

*Ad rationem in contrarium dicimus, Gere-*  
bernum læsisse quidem charitatem in re gra-  
ui, sed non vltra culpam venialem, si vis &  
dolus abfuit, cum Sueno liberè tunc consen-  
serit. Vnde etiam ex isto nullum adhuc ius

aduenit Monasterio, ex cuius violatione compensatio eidem debeatur.

LXXXI. Suibertus Sacerdos & Canonicus totum Officium diuinum orare solet manè vsque ad Completorium, quod dein nullà iustà causà impeditus frequenter negligit. *Quæritur.* Vtrum hâc omiſsione duo peccata committat, & duplicem horarum dicendarum titulum aperire in Confessione debeat, de quo ipse dubitat?

Videtur affirmandum. Ita Suarez Tom. 2. de Relig. l. 4. c. 18. num. 5. Fagundez de præcept. Eccles. Tr. 2. l. 4. c. 5. n. 23. Layman l. 4. Tr. 1. c. 4. in fine. ubi hanc sententiam vocat communem DD. & contrariam improbabilitatis arguit. Nam omnium vox & sensus est Beneficium dari propter officium, siue ex iustitia recitandum esse Officium. Ergo Suibertus non tantùm tenetur ratione Ordinis sacri, adeoque ex Obedientiæ virtute, sed etiam ex virtute iustitiæ, & consequenter omitendo notabilem officij diuini partem (qualis est Completorium) duo peccata committit, atque idèò vtrumque obligationis titulum exprimere in Confessione tenetur.

Resp. Suibertum omiſsione Completorii vnum tantùm committere peccatum, nec teneri duplicem horarum dicendarum titulum in Confessione aperire. Ita Homobonus, Henriquez, Gattias, quos refert & sequitur Diana P. 2. Tr. 12. Res. 22. & P. 4. Tr. 4. Res. 219. in fin.

*in fin.* Salas Tom. 2. Tr. 13. D. 3. s. 2. n. 17. Bonac. Tom. 1. de Horis Can. D. 1. q. 2. pun. 4. n. 27. Palao Tom. 2. Tr. 7. D. 2. p. 1. pa. 2. n. 29. & alij. Ratio est, quia multiplicantur hic præcepta solum materialiter; quippe non datur Beneficium Beneficiato titulo Iustitiæ, sed Religionis; præcipitur enim recitatio horarum Can. in laudem DEI, ut rectè Palao.

Atque ex his patet ad argumentum in contrarium; negatur enim dari Beneficium sub conditione officij; conceditur autem dari sub modo & onere. Patet quoque immeritò Laymanum hanc nostram sententiam communi Doctorum contrariam affirmasse, atque improbabilitatis damnasse, cum tanto magnorum Doctorum numero, & rationis momentum tonitatur.

LXXXII. Theonas operam suam locavit nobili cuidam ad arcem, quæ destructa erat, reparandam per integrum annum conventionem mercedis 100. florenorum. Nunc finito anno, & arce egregie reparata deceptum se advertit plus, quam dimidio pretij, adeoque 150. florenos labore & arte sua ad minimum se meruisse, quod sanctè affirmat Confessario petens ab ipso consilium. Queritur. An variari possit?

Videtur non posse. Ita nonnulli I. P. edo, quod contractus iam sit finitus, neque optio dari possit decepto vel rescindendi contractum, vel mercedem supplendi.

Pp 2

Resp.

Resp. Theonam iuari posse. Ita Fachin<sup>us</sup>,  
L. 2. *controuers.* c. 22. Molina, *de Iustit.* Tr. 2. D.  
349. § *predicta.* & alij. Nam finitâ locatione  
læsus remedium habet ex L. 2. *codic. de rescin-*  
*dend. vendit.* vt saltem contractus ad æquitatē  
redigatur. Ergo æquitas exigit, vt hâc viâ  
subsidiū accipiat, imò etiam si dispositio cit.  
legis in hoc casu locum non haberet, ex alijs  
tamen nim. ex L. *si superstite.* Cod. de dolo, &  
L. *si quis eum aliter.* ff. de verb. oblig. decepto sub-  
ueniendum esset.

Ad rationem contrariam dicimus, esto con-  
tractus non possit rescindi, quia finitus est,  
posset tamen eundem reparari, & ad æquitatē  
reduci, quod sufficiens videtur.

LXXXIII. Theon Sacerdos Vesperas Officij  
diuini vt alijs anni temporibus ita etiam in Qua-  
dragesima orat post meridiem circa tertiam, quod  
aduertens alius Presbyter eum huius admonet,  
aitque, absque peccato (nisi iusta aliqua causa sub-  
sit) fieri istud non posse, quam ille admonitionem  
non curat, sed pergit morem suum tenens. *Quari-*  
*tur.* An Theon reipsâ peccet, Vesperas in Quadra-  
gesima absque alia causa post meridiem dicendo?

Videtur peccare. Tum quia vniuersim pec-  
cat venialiter, qui horas Canonicas non legit  
temporibus determinatis, vt contra Caramu-  
elem in *Theol. fundamentali fund.* 53. § 20 n. 11.  
& 17. docent Card. Bellarminus, Toletus,  
Valentia, Lessius, Sanchez, Layman & com-  
muniter

munitur DD. apud Dianam P. II. Tr. I. Res. 9.  
Tum quia Rubrica expressè præscribit, ut vespere in Quadragesima ante comestionem dicantur. Tum quia idem Ecclesiæ consuetudo iam obtinuit, cui absque peccato controuenire nemo potest.

Resp. Theonem non peccare etiam venialiter, vespere in quadragesima post meridiem circa tertiam recitando siue in choro, siue extra chorum. Ita Caietanus in *sum. V. Ieiunium. §. hora competens.* Nauarrus, Medina, Fagundez, & post plures alios Tamburinus l. 4. in *Decal. c. 5. §. 4. n. 5.* Ratio est. Tum quia horæ canonice non habent vllam connexionem necessariam cum ieiunio. Tum quia rubrica Breuiarij feriâ quartâ Cinerum non imponit præceptum, ut docent citati & Trul. d. 18. n. 6. imò sunt, qui laudabilius hoc fieri putent, nisi auctoritate Cardin. Bellarmini, quem refert Tamburinus *loc. cit.* dicere solitum fuisse, congruentius esse nostrâ hâc ætate, vespere quadragesimales recitare post prandium, quàm ante; etenim apud Maiores nostros ideo vespere dicebantur ante refectioem, quia ista differebatur ad horas vespertinas; at nunc, si iam à stata hora cœna est deiecta, & in prandium mutata, cur per nouam licentiam deijciatur hora recitationis officij vespertini, & contra debitum ritum ad tempus antemeridianum transmittatur?



sed pace tanti viri dixerim, laudabilius mihi nō videri à directione Rom. Ecclesiæ, & consuetudine huius passim à sanctissimis etiam viris recepta recedere, quàm hisce se conformare; esto igitur absque peccato faciat Theon vespers post meridiem in quadragesima dicendo, laudabilius tamen in hoc non facit.

*Ad 1. in contrarium dicimus, vespers non perinde esse determinatas in quadragesima ad tempus ante prandium ac alias horas extra quadragesimam ad suum quamlibet tempus; cū recitationem illam vesperarum ante comestionem in quadragesima nec rubrica ita absolutè præscribat, nec consuetudo tam rigidè obliget, utpote sub peccato non introducta aut recepta, ut passim aduertunt DD.*

*Atque ex his patet etiam ad 2. & 3.*

**LXXXIV.** *Thomas vir inter Catholicos doctus frequenter angitur circa animæ rationalis immortalitatem, quam haud ignorat ab vniversa Ecclesiâ proponi credendam, ideoque frequenter hæc de re mentionem facit, aliorum sensum explorans, ac tandem suum etiam promere rogatus ait, probabile se iudicare, animam rationalem esse immortalem. Queritur. Vtrum Thomas ob hanc suam dubiam sententiam de re fidei committat hæresin?*

*Videtur non committere. Ita Canus L. 12. de locis c. 9. Malderus 2. 2. Q. 11. art. 2. Memb. 2. §.*

2. §. *respondeo.* & nonnulli. Tum quia hoc dubium non est actus, sed suspensio actûs. Tum quia idem dubium nihil habet contrarium fidei propter dictam suspensionem.

Resp. Thomam ita dubitando incidere in hæresin. Ita Suarez *de fide* D. 19. *sect.* 4. n. 10. Barbof: *de potest. Epis. Alleg.* 40. n. 16. Arriaga *in primam secundæ Tract. de fide diu.* D. 19. n. 75. & communiter alij. Nam dubitans de fide fidem destruit; hæc enim in homine fidelis firmitatem in credendo supponit iuxta illud Athanasij in symbolo: *hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non potest.* Sed fides non destruitur nisi per hæresin positivam. Ergo dubitatio illa continet talem. Confirmatur. Dubitare propriè circa rem fidei est iudicare illam, etiam attentâ propositione Ecclesiæ, adhuc non esse certam, quod iudicium est formalissima hæresis; quippe directissimè opponitur Veracitati diuinæ.

*Ad argumenta in contrarium dicimus, cum illa suspensione stare optimè, Thomam habe- re actum, quo iudicet, illud obiectum non esse certum; aliàs non verè & absolutè dubi- taret, sed vel merè præscinderet, nullum omnino actum eliciendo, vel dubitaret solùm secundum quid, seu respectivè ad rationem naturalem, quasi per hanc præcisè non certò constaret, animam rationalem esse immorta- lem.*

lem, esto in se & vi revelationis diuinæ certissimum foret, quorum neutro modo hæresim committeret, vt rectè notat Arriaga *Loc. cit. n. 76.* addens, sic Catholicissimū quemque sæpè de mysterijs fidei dubitare posse: atque in eundem sensum Scholasticos docere, scientiam & opinionem de eodem obiecto cohære posse, quia vnā eandemque veritatem manifestè probari vno argumento: & altero non probari nisi probabiliter seu opinatiuè, nullo modo repugnat.

LXXXV. *Tornanus ait in Confessione, se cuidam ovem abegisse, & cum imponeretur ei restitutio, subdit, credere se, Dominum illius ovis non esse invitum, vtut aliàs materia sit gravis, certè libenter condonaturum, si rogaretur. Queritur 1. Vtrum Tornanus ex præsumpta hac Domini voluntate excusetur à restitutione? 2. Quid si eandem ovem abigendo putasset, Dominum illius non denegaturum, si peteret, an idcirco furtum mortale non commisisset?*

Videtur Tornanus non excusari inde à restitutione, aut furtum minùs graue committere. Tum quia talis licentia conditionalis non sufficit ad valorem actuum, v g. ad audiendam confessionem vt ex communi docet Suarez *Tom. 3. de Relig. l. 8. de statu Relig. cap. 11.* Ergo nec sufficit ad accipiendam aut retinendam rem alterius, eo inscio. Tum quia aliàs Religiosus citra violationem paupertatis

pertatis accipiet aut retinebit rem aliquam si-  
ne præscitu Prælati, si putet hunc non nega-  
turum licentiam aut restitutionem non po-  
stulaturum, si sciret, aut rogaretur, quod ta-  
men absque dissolutione paupertatis religiosæ  
admitti nõ potest, quando enim aliquis talem  
facultatem sibi non finget?

Resp: 1. Tornanum in foro interno ob  
voluntatem Domini præsumptam excusari à  
restitutione, saltem statim faciendam. Ita ex  
communi Lugo *de just. Disp. 21. n. 52.* Quia si  
remissio creditoris expressa sufficiat, cur non  
etiã rationabiliter præsumpta? Quod si Do-  
minus, qui præsumitur non inuitus, sit reuerã  
inuitus, nõ ided peccauit Tornanus differen-  
do restitutionem, sed comperto errore ad eam  
faciendam obligatur, vt rectè Molina *Tom. 3.*  
*D. 68. num. 3. Dixi in foro interno;* nam in foro  
externo semper præsumitur Dominus inui-  
tus, nisi adsint sufficientes coniecturæ, quæ  
id persuadent iuxta glossam in *l. inter omnes. S.*  
*rectè. V. verumtamen. ff. de furtis.*

Resp: 2. Tornanum ex prædicta præsum-  
ptione non commisisse peccatum graue. Ita  
D. Antonin. Rosella, Angles, Syluester, &  
teste Lugo *cit. n. 54.* satis communis senten-  
tia. Ratio est, quia sic res non est ablata in-  
uito Domino, aut certè non quoad substan-  
tiam, sed tantum quoad modum, vt præter  
alios tradit etiam Less. *l. 2. de just. cap. 12. n. 49.*

*Ad 1. in contrarium negamus consequentiam; quia ad Sacramenta & eorum valorem ex communi Theolog. requiritur voluntas positiva antecedens, quæ causet illos effectus; ad excusandam autem malitiam furti non requiritur positiva Domini voluntas, sed solum quod non sit positivè inuitus, id quod accidit, quoties Dominus ita est affectus, ut si peteretur res, eam concederet.*

*Ad 2. Concedi sequelam à nonnullis apud Lugo n. 56. quibus fauent Suarez loc. cit. n. 11. & Lessius l. 2. de just. c. 41. in fine. Verùm licet doctrina hæc absolutè etiam in Religioso locum habere possit, de facto tamen non tam facilè præsumitur Prælati non inuitus, quàm Dominus sæcularis, eò quod iste solum attendat ad suam utilitatem, à qua si propter substantiam rei ablata non retardetur, displicentia modi parùm eundem moratur: ille verò insuper attendat ad bonum religiosi statûs, & observationem regularum, cui frequenter nõ tam substantia rei ablata, quàm modus aduersatur, ut pluribus explicat Lugo Disp. 3. de Iust. sect. 7. à num. 123.*

**LXXXVI.** *Theopemptus Parochus in concubinato vivit cum Theopempta femina Laica, idque ex certis testimonijs rescit Iudex sæcularis, qui mox in ades parochiales Theopempti cum apparitoribus suis irruens & concubinã inde vi extrahens, ac suo eam sistens tribunali omnes expensas in captura*

*jurâ factas à Theopempto requirit. Queritur. Ad quem Theopempta Laica Iudicem in hac causa spectet, an ad Ecclesiasticum, vel sacularem?*

Videtur spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. Ita plerique D.D. Vti videre est apud Iacob. Menochium *de arbitr Iudicium Questionib.* L. 2. c. 371. n. 13. Ratio est. Quia vnica & indiuidua causa ab vno Iudice est iudicanda *extext. in L. nulli. c. de Iudicys.* Ergo ab Ecclesiastico digniore iuxta *L. communem ff. quemadmodum seruitutes amittantur*, vbi ratione sanctitatis potest quis viam & vsum retinere, quem alius per se non poterat.

*Resp.* Theopemptam Laicam fœminam ream concubinatus cum Clerico spectare ad sacularem Iudicem. Ita Covar. *practic. qq. t. 34. n. 1. circa finem.* Iulius Clarus *pract. question. c. 6. n. 6.* & plures apud hos. Probat. Tum *ex L. si quis vxori ff. de furtis in princ.* vbi Socius criminis non gaudet priuilegio Socij. Tum quia delictum, etsi physicè sit vnum & indiuiduum, moraliter tamen est duplex. Ergo ratione huius duplicitatis quilibet delinquens suo subditur Iudici. Tum quia si pluribus fratribus, è quibus vnus est Clericus, obueniatur hæreditas, solus Clericus pro parte sua non alij fratres exempti sunt à solutione tributorum. Ergo etiam delictum Theopemptæ Laicæ non debet esse exemptum à Iuris dictione Laicali, eò quod commune sit cū delicto Clerici. *Atque*

Atque ex his patet ad rationem in contrarium. Ad *L. communem* dicimus, eam intelligendam in causa, quæ nullam, vel saltem non commodam patitur diuisionem. Cæterum quod Iudex Sæcularis in ædes Theopempti Clerici cum apparitoribus ita inuolet, & expensas in captura concubinæ factas ab eodem exigat, meritò tanquam malè factum damnat Lay *L. 4. Tr. 9. c. 4. n. 10. & 11.* Illud quidem quia est violentia vsurpata contra ipsos Ecclesiasticos: hoc verò, quia Theopemptus harum expensarum causa non extitit, sed solum per accidens suo delicto occasionem præbuit.

LXXXVII. *Turson in Gothia Iudex capite quemdam plecti iusserat. Is genibus innixus: en morior, inquit ad Iudicem, teque voco hæc horâ ad DEI tribunal, quo dicto caput ferro subiecit, & simul ex equo iudex mortuus decidit, vt refert Olaus l. 14. Histor. Aquilon. c. 20. Similes prouocationes non rarò contingunt. Queritur. An licitè?*

Videtur, quod non. Ita Iulius Clarus *in l. 9. §. fin. q. 85. num. 7.* cum nonnullis Iuristis. Tum quia est contra charitatem, & patientiam Christianã. Tū quia vana est innocentie gloriatio & propriæ vindictæ appetitio. Tum quia iniusta fit perturbatio Iudicium, cum nulli tribunal DEI non sit formidabile.

Resp. Prouocationem ad DEI tribunal per se esse licitam. Ita Martinus Delrius *de Magi-*

*eis Disquisitionibus Tom. 2. l. 4. c. 4. q. 4. s. 1. &* ex hoc plures alij. Probat. Tum exemplis Virorum sanctitate & doctrinâ præstantium, quæ tam ex S. Scriptura, quàm Historia Ecclesiastica adducit citatus Author. Tum quia cuilibet ob grauamen appellare licet ad Iudicem superiorem, qualis respectu cuiuscunque inferioris est Deus, à quo est omnis potestas in cælo & in terra. *ad Rom. 13.*

*Ad 1. in contrarium* negamus esse contra charitatem aut patientiam, vocare alterum ad Dei Tribunal, eo animo, vt innocentia pateat, aut familia ab infamia liberetur &c. esto ex altiori motiuo siue charitatis, siue alterius virtutis, iactura famæ aliorumque bonorum laudabiliter sufferri possit. *Ad 2.* Negamus quoque, prouocationem talem per se esse vanam innocentia gloriationem, aut propria vindictæ appetitionem, cum bono fine fiat, & perinde, ac iuramentum iustum, laudè mereatur; quia tamen facilè latens aliqua gloriolæ vel vindictæ vel alia perturbati animi nebula se immiscet, vt veritatem ac iustitiam non videamus, idcirco fatemur, periculosum esse hoc genus defensionis, ac nec vnquam ferè vsurpandum. Quod si quis scienter iniuste alium citet, peccat etiam mortaliter ob graue nocumentum alteri inde oriri solitum. *Ad 3.* Dicimus, ex hac citatione nullam sequi iudicum perturbationem; nam vel iustam tulerunt



tulerunt sententiam, & tunc contemnere debent citationem illam, & præmium potius quàm pœnam iusti Iudicij à DEO expectare: vel de vero Iudicio dubitant, & tunc illâ excitari eos oportet ad exactiorem rei discussione, vt lata sententia aut retractetur, aut maturiori consilio confirmetur, quæ omnia absque noxia animi perturbatione fieri queunt.

LXXXVIII. *Turonius pro Iubileo lucrando sedulo confessus est. & Sacram Eucharistiam sumpsit, ieiunium tamen vsque ad vltimum diem distulit, & antequam hoc parageret, relapsus est in peccatum mortale. Queritur. Vtrum Turonius ad lucrandum Iubileum denuo confiteri debeat?*

Videtur teneri ad Confessionem iterandam? Ita Suarez To. 4. in 3. Part. D. 52. f. 3. n. 7. Dicastillo de Pœnit. Tr. 9. D. 22. n. 161. Palao Tr. 24. Diss. vnica. pun. 9. n. 24. Ratio est, quia iuxta verba Bullæ lucraturus Indulgentias præter cætera requisita debet esse de omnibus suis mortalibus contritus & confessus. Atqui Turonius absque nova confessione non est de omnibus contritus & confessus, sed tantum de aliquibus. Ergo non lucrabitur indulgentias. Ergo vt has consequatur, confessionem repetere tenetur.

Resp. Turonium non teneri confessionem repetere. Ita Nugnus in addit. & 3. part. 9. 27. à 3. dub. 4. Bonacina To. 1. fol. 295. n. 9. & teste Dedicastillo l. cit. multi alij. Ratio est. Tum quia

quia ille lucratur indulgentias, qui opera requisita ritè ponit. Atqui Turonius si absque nova confessione contritionem de peccato eliciat, omnia requisita ritè ponit, cum Summus Pontifex tantum vnam Confessionem requirat, ergo &c. Tum quia oblitus invincibiliter peccati mortalis in Confessione non tenetur iterum confiteri ante ultimum opus peragendum, sed sufficienter disponitur per contritionem ad lucrandas Indulgentias, ut plerique ex Aduersarijs concedunt. Cur ergo in nostro casu noua Confessio requiratur? Tum quia ex communi Theologorum ad lucrandas Indulgentias plus non requiritur, quam ut aliquis, dum vltimū opus ex requisitis peragat, existat in gratia. Atqui Turonius, si ante vltimum opus de commisso peccato conteratur, existit in gratia. Ergo non tenetur Confessionem repetere.

*Ad rationem in contrarium* distinguitur Maior; debet esse contritus & confessus de omnibus mortalibus ante hanc Confessionem patratis conceditur; de omnibus simpliciter etiam ijs, quæ post hanc Confessionem ritè peractam ante vltimum opus ex requisitis de nouo committuntur, negatur; cum Pontifex nullibi Confessionem repetitam, adeoque duplicem imperet, sed vnam. Sufficit ergo, si aliquis vnam Confessionem ritè peragat: de peccatis autem post hanc patratis saltem conteratur,

teratur,

teratur, cū pro legitima dispositione talis contritio sufficiat. Ad hæc in verbis illis *contritus & confessus*, quæ apponi solent, particula *Et* sumi potest distributiue, vt sensus sit, concedi Indulgentias tum omnibus confessis, etiamsi non fuerint fortè contriti sed sufficienter attriti, tum omnibus contritis, quales esse possunt, qui post Confessionem iterum in mortale lapsi sunt. Vt bene notat Lugo Tom. de pœn. D. 27. n. 94.

LXXXIX. *Valentioni Subdiacono & Canonico Cantuariensi moritur vnicus frater absque relicto heredede, vt igitur tum amici, tum alij viri magnæ authoritatis illustri familia consulant, suadent ei, vt Canonicatū resignare, & matrimonium inire velit, securus de dispensatione per ipsos impetranda, & quia de hac petenda & breui assutura minimè dubitatur, nuptiæ interea celebrantur, & triduo post eas adest dispensatio à Summo Pontifice obtenta. Queritur 1. Vtrum matrimonium Valentionis ante acceptam dispensationem fuerit validum? 2. Si non sit validum, vtrum Valentio illud ineundo & cohabitando peccarit?*

Videtur matrimonium fuisse validum, & consequenter Valentionem non peccasse, illud ineundo & cohabitando. Tū quia ante illud initū iam fuit concessa dispensatio, cū intra triduum Romā Cantuariam peruenire non potuerit. Tum quia valor dispensationis non pendet à dispensando, sed à dispensante, qui  
etiam

etiam inuito & renuenti obtrudere eam potest, vt docetur de LL.

Resp. 1. Matrimonium Valentionis fuisse nullum. Ita Sanchez l. 8. de Matr. D. 26. n. 5. Amicus Tom. 5. cursûs Theologici. D. 6. sect. 1. n. 11. & seq. Palao Tom. 1. Tr. 3. D. 6. pun. 11. n. 3. & communiter alij. Prob. Tum ex l. qui absentis. ff. de acquirenda poss. sione, & c. Si tibi absentis. de præbend. in 6. vbi dicitur: jus in beneficio, quod absentis confertur, non acquiri, donec absens ratam habuerit collationem, quod proportionaliter de dispensatione sentiendum, vt rectè notat Sanchez loc. cit. Tum quia dispensatio per se est relaxatio à lege adhuc vigente & obligante. Ergo vt licitè suum effectum operari valeat, debet esse nota ipsi dispensando; quamdiu enim ei dispensatio Superioris non innotescit, non est ei licitum contra legem agere, vt proinde dispensatio ante sui notitiam nequeat ponere effectum suum. Tum quia dispensatio absq; tuo mandato impetrata, vel à Principe concessa semper secum trahit hanc imbibitam conditionem: si tibi placita sit, & grata existat, vt cū Suarez, Salas, Sanchez & alijs tradit Palao loc. cit. Vnde differt hic casus à xxxviii. supra allato.

Resp. 2. Valentionem, per se loquendo, peccâsse celebrando nuptias, & cohabitando ante notitiam dispensationis. Ita cit. Authores. Ratio est, quia ante dispensationis noti-

Q 9

tiam

tiam non potuit tutâ conscientiam & absque peccato contra legem agere, cum ante talem notitiam adhuc in conscientia ipsius vim suam obligandi obtinuerit. *Dixi per se*, quia si Valentio ob ignorantiam inuincibilem bonâ fide processit, tunc per accidens ratione huius à peccato liberatur, ut docetur de conscientia.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, fuisse quidem dispensationem Romæ iam concessam ante matrimonium Cantuariæ initum, non tamen illam habuisse vim & effectum, donec cognita aut acceptata fuerit à Valentione; quia est quædam donatio, quæ per acceptationem completur. *Ad 2.* Dispensationem habere quidem valorem à dispensante, non tamen effectum ante notitiam dispensandi; & licet alicui inuito & reuerti concedi possit, hoc tamen nunquam debet præsumi, nisi id manifestè constet, ne gratiæ Principum vilipendantur.

**XC.** *Vindonius vir nobilis ex mera liberalitate Rosimunda coniugi suæ gemmam centum imperialium dono concedit, quam ipsa statim diuendit, & pecuniam in pauperes, amicos, aliosq; profundit. Queritur. Vtrum maritus has vxoris suæ elargitiones ad se retrahere, & gemmam repetere possit?*

Videtur posse. Nam ex communi Authorum donatio ex mera liberalitate vxori simpliciter

placiter facta est ad arbitrium donantis reuocabilis iuxta l. 3. ff. de donationibus inter virum & uxorem. vbi Antoninus Augustus ait: Maiores nostri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes: famæ etiã coniuñtorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur. Ergo si vir donationem uxori factam reuocet, & nullam constituat, amici omnesque alij reddere tenentur accepta.

Resp. Probabile esse, primam Vindonij donationem, etsi simplex & merè liberalis fuerit, firmam tamen & irreuocabilem fuisse, ac proinde eum prædictas vxoris elargitiones ad se retrahere, & gemmam repetere non posse. Ita Caramuel in *Theolog. Moral. l. 2. n. 51.* quem sequitur Diana *P. 8. Tr. 6. Resol. 19.* Ratio est, quia in his circumstantijs per episkiam tam legem cit. quàm alias prudenter sic interpretamur, cum vtique bonum, non perniciem publicam intendant; quæ enim aliàs sequeretur rerum confusio? quæ amicorum dissensio & iurgia? quæ famæ, auctoritatisque imminutio?

Atq; ex hoc patet ad rationem in contrarium.

XCI. Vitellius Religiosus & Sacerdos valde pius visitat Anchisen agrum senem, & dum piè cum isto colloquitur, rogat ager, vt absentibus alijs vertere ipsum in alterum latus velit, quò melius cubet. Obsequitur Vitellius tam amicè rogan-

zi, at dum omnibus adhibitis viribus quàm suavissimè versare eum conatur, ecce senex mortem obit. Unde vehementer angitur Vitellius, ne accelerando seni mortē irregularitatem incurrerit. Quæritur. Quid hac de re sentiendum.

Videtur incurrisse irregularitatem. Tum quia ad hoc, vt incurratur irregularitas etiam ex homicidio non requiritur culpa. Tum quia chirurgus, Medicus, vel quivis alius, si secando infirmum, medicinam præbendo, illum in lecto versando occidunt, aut mortem accelerant, sunt irregulares. Tum quia *c. Tua nos de homicidio*. Clericis prohibitum est, ne artem chirurgicam exerceant propter periculum, ne alicui causa mortis existant; ex quo Suarez D. 47. sect. 7. docet, Clericum irregularitatem contrahere, si contra huiusmodi prohibitionem ægrum secando, vertendo &c. mortem ipsi etiam præter intentionem & sine notabili negligentia acceleret: Cur ergo Vitellius eandē irregularitatem non incurrat, cum idem incautâ actione suâ quasi medendo præstet?

Respon. Vitellium irregularitatem nullam incurrisse: nec esse, cur aliqui Religiosi tam sollicitè se abstineant ab hisce actionibus metu irregularitatis Ita Auila *de Censuris Par.* 7. D. 6. f. 1. dub. 8. & plures alij. Ratio est quia Vitellius bonâ fide ex vno in alterum qatus vertit Anchisen, & sic præter opinionē accele-

accelerando mortem non admisit ullam culpam. Cur ergo sustineat pœnam? imò etiam si veniale commisisset peccatum, ex sententia Suarez de censuris D. 47. cit. sect. 3. n. 21. Navarri, Soti, & aliorum nondum incurreret irregularitatem, quæ ex culpa oritur. Nam gravis pœna, qualis est irregularitas, ob peccatum imposita requirit gravem culpam, siquidem pœna debet esse proportionata culpæ. Ergo Vitellius irregularitatem tanquam gravem pœnam non contraxit, quia peccando gravem culpam non commisit.

*Ad 1. in contrarium dicimus, ex homicidio publicâ authoritate factò incurri quidem irregularitatem etiam absque culpâ omni ob defectum lenitatis: non autem ex homicidio privato. Nam omne homicidium, quod alicui imputetur, & ob quod puniri aliquis possit, est peccatum, idque mortale; iura autem imponunt irregularitatem illam, quæ dicitur ex homicidio voluntario aut causali, tanquã pœnam ob peccatum homicidij commissum.*

*Ad 2. Chirugos etiam & Medicos irregularitatem non incurrere, si citra mortalem culpam & negligentiam ægrum secando, vertendo &c. mortem eidem accelerent, ut tenent citati. Ad 3. Vitellium non exercere Chirurgiæ artem; unde etiam si culpam aliquam contraxisset, vertendo ægrum, nullam inde irregularitatem incurrisset.*



XCII. *Vissia pia famula ex bonis Domini sui clam hætenus fecit eleemosynas; nunc audiens in concione non licere ancillis facere eleemosynas ex bonis Dominorū suorum, vehementer angitur. Queritur, Vtrum Vissia eleemosynis factis peccārit, & an deinceps omittere debeat?*

Videtur peccasse, & deinceps abstinere ab his debere. Nam ex communi Theolog. eleemosyna facienda est ex propriis, nō alienis bonis, cū iniustitia committenda non sit, ut charitati subuenias, uti docuit Augustin l. 50. Homiliarum. Hom. 7. *relatus in cap. fortè. 14. quest. 5.*

Resp. Cum S. Thom. in 4. dist. 16. q. 2. art. 5. Azor part. 2. l. 12. c. 10. q. 2. Filliuc, Coninck, Turriano & alijs, famulos è bonis Domini licitè aliquid pauperibus elargiri. 1. In extrema necessitate. 2. De rebus sibi ad victum concessis, si paucioribus contenti, & nihilominus laboribus suis fungi possint. 3. Si detur modicum quid, nō admodum frequenter, quia tunc præsumitur probabiliter cōsensus Domini. 4. Quoties adest eiusdem consensus, saltem interpretatiuus. 5. Quando probabiliter speratur rati habitio, quæ tunc maximè est, quando famuli habent administrationem bonorum. 6. Quando Dominus rationabiliter nō potest esse inuitus, quia v. g. aliàs res malè perirent &c. Si ergo Vissia faciendo eleemosynas prædictis modis se gessit,

lit, non peccavit, & pergere potest: secus, deliquit; & abstinere deinceps debet.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum, in qua supponitur nullus adesse consensus Domini siue expressus, siue tacitus, siue rationabiliter præsumptus, quod in enumeratis casibus non contingit.

XCIII. Viterbius filiolum habet, qui septennio vix egressus in grauem incidit morbum. Parens de salutè filij sollicitus, cum iste antè iam confiteri fuerit solitus, in hoc etiam statu confessionem ab illo peragi cupit, sed ad hanc vi morbi & instantis mortis non amplius eum invenit aptum; igitur extremâ saltè vnctione eundè inungi petit à Parocho, sed intelligit ex isto, non solere pueris dari extremam vnctionem, antequam iisdem Sacramentum Eucharistiæ administretur. *Quaritur. Vtrum pueris vsus rationis habentibus ante sacramentum Eucharistiæ aliquando sumptum Extrema Vnctio administrari possit?*

Videtur non posse. Ita Sotus in 4. D. 23. q. 2. art. 3. art. 2. Vivaldus de Extrema Vnctione c. de suscipientibus n. 7. & alij nonnulli haud infimæ notæ Theologi Moventur. Tum receptâ & vbique vigente consuetudine, quæ hoc sacramentum impuberibus negat. Tum quia extrema Vnctio Pœnitentiæ & Eucharistiæ succedit illorumque vices supplet. Ergo inepti ad hæc Sacramenta censerī non debent apti ad illud accipiendum.

Q 94.

Resp.

Resp. omnibus pueris septennio egressis & vsum rationis habentibus danda est Extrema Vnctio, etiamsi nec recipiant, nec apti sint recipere sacramentum Eucharistiæ. Ita Zamtranus *de Extr. Vnct. dub. 1. Sà V. Extr. Vnct. Layman l. 6. Tr. 7. c. 4. n. 2.* & communiter alij. Ratio est, quia pueri hoc sacramento indigere possunt tum ad concipiendam spem diuinæ misericordiæ, tum ad infirmitatem æquo animo sustinendam, tum ad tentationes dæmonis superandas, tum ad peccatorum remissionem, tum denique ad sanitatem corporalem consequendam.

*Ad 1. in contrarium* dicimus, cum pueris subinde salus æterna hinc dependere possit, consuetudinem negandæ ipsis Extremæ Vnctionis tolerandam à Prælati non esse, his tamen tacentibus, Parochos excusari à peccato, si iuxta illam procedant.

*Ad 2.* cum pueri post septennium capaces sint Pœnitentiæ, etiam extremæ Vnctionis esse capaces, cum hoc Sacramentum sit illius consummatiuum; Imò etiamsi Parochus in confessione cognoverit, puerum nunquam peccasse actualiter, deberet tamen illum inungere contra Ioannem Sanchez *in select. D. 27. n. 18.* docet post Suarez *Tom. 4. in 3. part. D. 42. sect. 2. n. 10.* Conink Fillucium & alios Diana *P. 3 Tr. 4. Res. 181.* Eisdem pueris Sacramenti Pœnitentiæ capacibus etiam sacramentum Eucha-

Eucharistiæ in articulo mortis dari posse, docent Tanner 3. p. D. 5. q. 6. dub. 5. n. 116. & post alios non paucos Diana 3. part. cit. Tr. 6. Resol. 89. vtut aliàs Extrema Vnctio in pueris aptitudinem ad Eucharistiam sumendam nõ supponat.

XCIV. *Vrsatius* Sacerdos ex beneficio suo pro annuis redditibus facile mille habet florenos; è quibus, etsi vix mediam partem pro congrua sustentatione requirat, omnes tamen annuatim expendit in amicos non indigos, aliosque vsus profanos, ratus se æquè de illis, ac alium quemuis de bonis suis disponere posse. *Queritur.* 1. *Vtrum Vrsatius suorum reddituum perinde omnium sit dominus?* 2. *si est, an idcirco de illis omnibus etiam superfluis pro libitu disponere possit?* 3. *Si nõ possit, vtrũ teneatur ad restitutionẽ tũ ipse, si quid profanè elargiatur: tũ alij, si quid ab eodem sic accipiant?*

Videtur *Vrsatius* minimè esse dominus omnium reddituum etiam superfluatorum. Ita Alexander, Antoninus, Richardus, Héricus, Maior, Waldensis, quos affert Vasquez *opusc. de redditib. c. 1. §. 3. d. 1. n. 24.* Item Panormitanus, Hostiensis, Nauatrus *toto tract. & apolog. de Ecclesiast. redditib. ac communis Canonist. apud Couarr. c. cum in officijs de testament.* qui omnes consequenter negant, *Vrsatium* pro libitu disponere de illis posse, aded vt si superflua ex beneficio suo in profanos vsus expendat, tum ipse, tum is, qui accipit, teneatur ad re-

stitutionem. Mouentur 1. quod hæc bona sæpe vocentur patrimonium Christi. 2. quod sacri canones iubeant, redditus ecclesiasticos diuidi in 4. partes, & vnã tribui Episcopo, alteram Clericis, tertiam fabricæ, quartam pauperibus; Vnde etiam ab iisdem canonibus Clerici dicuntur solùm dispensatores. 3. quod *c. quoniam. 16. q. 1.* apertè dicatur: *quidquid habent Clerici, pauperum est*; quod ipsum nonnulli PP. grauissimis verbis attestantur. 4. quod hæc bona à fidelibus data & donata sint ipsi DEO, vt constat ex quibusdã formulis antiquis donationum.

Resp. 1. Vrsatium verum esse dominum suorum ex beneficio reddituum etiam superfluum. Ita Molina *de iustit. Tom. 2. D. 143.* Sanchez *l. 2. Consil. c. 2. dub. 37.* Valent. *To. 3. D. 10. q. 3. pun. 7.* Vasquez *loc. cit. n. 28.* Lessius *l. 2. de iustit. c. 4. dubit. 6.* Layman *l. 4. Tr. 2. c. 3. n. 3.* Becanus *de iust. c. 3. q. 6. n. 8.* Wiggers *Tr. 1. de iust. c. 3. n. 28.* Card. de Lugo *de iust. D. 4. n. 2. & RR. communiter. Prob. 1. ex Trident. sess. 23. de Reform. c. 1 vbi decernitur, Episcopos, si vltra 3. menses à suis Ecclesijs absint, non facere fructus suos; Et sess. 24. c. 12. statuitur, Prouisos de Canonicatibus non facere fructus suos, nisi fidei professionem suo tempore ac loco faciant. Similia habentur in Bulla Pij V. quæ incipit *Ex primo*, alijsque Ecclesiæ statutis. Ex quibus à contrario sensu*

su concluditur. Ergo qui faciunt professionem fidei: qui non absunt à suis Ecclesijs &c. lucrantur fructus, eosque faciunt suos, vt bene inferunt Becan. & alij. Prob. 2. Beneficiati omnes redditus suorum beneficiorum promiscuè percipiunt. Ergo dici non potest, eos aliquorum dominium acquirere, aliquorum verò non; cum enim paupertatem non vouerint, capaces sunt dominij rerum: & Ecclesia, quæ redditus annuos ob spirituale officium largitur, non reddit eosdem incapaces, sed potius significat, comparari ab illis dominium, vt ex recens dictis patet. Prob. 3. Clerici non Religiosi, qualis est Vrsatius, si non habent dominium fructuum superfluum, sed tantum administrationem in pias causas, Ergo rescindi debent donationes eorum & contractus omnes profani, idque maximè ex debita cura & prouidentia Ecclesiæ erga pauperes; quod tamen non fit, nec vlli vnquam hoc prætextu lis intentatur, sed supponitur, quod donatio sit valida, in quemcunque usum fiat.

Resp. 2. Quamuis Vrsatius habeat dominium reddituum etiam superfluum ex beneficio, tamen grauitè obligatur, illos erogare aut de ijs disponere in usum pauperum, vel alterius piæ causæ. Ita communis, & omnino certa sententia, ita vt opposita, inquit Wiggers, ne quidem reputetur vllò modo probabilis. Sed vnde prouenit tam grauis obligatio?

tio? Omissis varijs DD. opinionibus existi-  
 mamus, prouenire tum ex præcepto humano  
 siue Ecclesiastico, tum maximè ex iure natu-  
 ræ, siue ipsa natura virtutis Religionis; nam  
 indecens videtur, vt ea bona, quæ ad Dei cul-  
 tum instituendum ac conseruandum eiusque  
 gloriam propagandam data sunt Ecclesiasti-  
 cis, ad profanos vsus applicentur. Insinuat  
 hoc non obscure Tridentinum *sessione 25. de*  
*Reform. c. 1.* vbi inter alia, quibus Clericos à  
 profano vsu absterret, redditus illos ecclesiasti-  
 cos vocat *Res DEI. q. d.* ea bona non aliter esse  
 expendenda, quàm si verè ac propriè essent  
 solius DEI. Eandem doctrinam præter alios  
 tradit Card. de Lugo *loc. cit. n. 16.* & inde me-  
 ritò reprehendit sententiam quandam Dianæ  
*P. 5. Tr. 8. R. 27.* iustò laxiorem, nempe Eccle-  
 siasticum quemlibet etiam ditissimum satisfacere  
 suæ obligationi, si in communes ne-  
 cessitates erogat quartã partem reddituum eccle-  
 siasticorum, vel dimidium illius, quod post cõ-  
 gruam sustentationem remanet. Nam cum  
 omnes redditus illi ecclesiastici superflui sint  
*res DEI*, cur non æquè omnes in pios vsus ero-  
 gari oporteat?

Resp. 3. Vrsatium peccare quidem graui-  
 ter, si redditus superfluos in diuites transferat  
 donatione, legatione &c. alienationem ta-  
 men absolutè & sine vllò restitutionis onere  
 validam esse, perinde fere ac si Laicus diuiti  
 donet,

donet, quod ex lege misericordiæ pauperibus elargiri obligatus est, vt ex communibus aliorum Becan. *loc. cit.* allegans D. Thom. & Clarum. Imò accipientes absolutè neque peccare, vult Less. *l. 2. de Iustit. c. 20. dubit. 19. n. 169*: Nam si peccarent, id ex eo contingeret, quod cooperarentur alterius peccato. Atqui hoc non fit; tota quippe malitia iam perfecta est in voluntate efficaci dantis, siue in actiua translatione dominij, non in passiuâ, quæ in acceptatione consistit, cum hæc acceptatio non tam sit translatio dominij, quàm effectus translationis. Ergo tota essentia peccati iam est posita in actiua voluntate dantis, vt pluribus declarat Card. de Lugo *de just. D. 4. n. 5. & Disp. 8. de Sacram. in Gen. n. 180.*

*Ad 1. in contrarium* dicimus cum cit. Authorib. vocari isthæc bona patrimoniū Christi, quia propter Christum & ad eius cultum instituendum ac conseruandum sunt donata. *Ad 2.* hinc tantùm haberi, Episcopos aliosque Clericos Beneficiatos ex bonis antiquitus fundatis teneri ad quartâ partem pauperibus assignandam, vbi ea assignata nondum fuit, eam scil. quæ superest ex redditibus assignatis pro mensa Episcopali, pro Clericali, pro fabrica templi, non quidem ex Iustitia, sed quia hoc canones iubent, adeóq; ex præcepto Ecclesiæ. Ex quo solùm habetur, Episcopū fuisse merū Administratorem & Dispensatorem bonorum



bonorum Ecclesiasticorum ante eorum diuisionem, quod nobis non officit, qui loquimur in præfenti casu de tempore post diuisionem illam. Sed *inquiunt*, pars illa olim pauperibus assignata, cum modò non appareat, probabiliter lapsu temporis confusa fuit cū parte Episcopis & Clericis debita, vt proinde dominiū illius adhuc maneat penes pauperes. Verùm hæc merissima est coniectura, ex qua nihil solidi statui potest; quid enim si non fuit ista confusio facta, sed ex illa parte noua beneficia, ac seminaria fuerint erecta, templa ædificata? quid si Summus Pontifex eandem partem grauioribus ex causis adiecerit Clericis aduertens pauperū necessitati aliunde satis à fidelibus subueniri? *Ad 3.* hoc dici nõ quoad dominium aut debitum iustitiæ, sed charitatis, eleemosynæ &c. vt pluribus explicat *Wiggers loc. cit. n. 30.* in quem sensum intelligēdi sunt tū alij Patres, tū nominatim S. Bernardus Epist. 2. sic scribens: *Quidquid præter victum & vestitum de Altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est;* nempe latiore loquendi modo; cum enim bona Ecclesiastica pro cultu DEI data sint, profani eorum vsus non malè sic Sacrilegium dici possunt. *Ad 4.* denique Fideles dici bona sua donasse DEO, quia voluerunt ea inseruire ad cultum & gloriam DEI, aliàs si voluissent, penes solum Deum esse dominium, Beneficiarij ne partis quidem

dem necessariæ ad congruam sustentationem essent domini, quod nec Aduersarij volunt.

XCV. *Wendelinus Studiosus in campis inter alios se recreans habet secum sclopetū solo tamen nitrato puluere onustum, quod cum ioco in faciem vnus ex socijs exploderet, iste non tam vi explosio- nis, quàm terrore ita percussus est, vt humi pro- cumbens agrè surgere, & ad Chirurgum perrepta- re potuerit, qui periculum agnoscens, licet spem vitæ exiguam dederit, id tamen effecit, vt læsus 14. adhuc dies supervixerit, & scholas etiam repe- tiuerit, diutius, vt videbatur, victurus, si debitam ipse sui curam habuisset. Queritur. An Wendeli- nus ex hoc homicidio irregularitatem incurrerit?*

Videtur incurrisse. Tum ex cap. *Contineba- tur de homicidio*, vbi Diaconus quidam irregu- laris declaratur propter homicidium in lusu cum socijs præter opinionem factum. Tum ex cap. *Clerico iacente. cap. eos verò qui. dist. 50.* vbi exprimitur, irregularitatem incurri prop- ter homicidium casuale. Tum quia Wende- linus mediâ illâ læsione occasionem præbuit morti alterius, vt argumentatur Layman l. 3. sect. 5. Tr. 3. c. 3. n. 10. & alij.

Resp. Wendelinum non incurrisse irre- gularitatem propter homicidium illud. Pro- barur 1. Ex cap. *lator. de homicidio*. vbi excu- satur ab irregularitate Clericus cum alio lu- dens, etiamsi alius casu occubuerit cultello, quo ille erat præcinctus. Ergo etiam Wende- linus

linus excusari potest, licet alius occubuerit ex sclopeti explosione, quam ille iocando fecerat. Probatur 2. Si Wendelinus incurrit irregularitatē, vel incurrit istam homicidio voluntario, vel casuali. Neutrum dici potest. Ergo nullo modo incurrit. Non 1. quia ad voluntarium homicidium requiritur intentio expressa occidendi, seu apponendi causam de se illativā mortis, & vt talem cognitā, vt ex Concil. Trident. *Sess. 14. c. 7.* & communi DD. docet Palao *de censuris. d. 6. pu. 15. §. 1. n. 1.* Atqui Wendelinus non habuit talem intentionem, nec apposuit causam de se illatiuam mortis, & vt talem cognitā. Tū quia nulla ipsi vel suspicio mortis inferendæ in mentem venit. Tum quia explosio talis sclopeti nullo plumbo onerati per se à nemine iudicatur illatiua mortis. Ergo non incurrit irregularitatem ex homicidio voluntario. Non 2. Quia ubicunque non adest culpa grauis, ibi ex homicidio casuali non incurritur irregularitas. Atqui in proposito non adest culpa grauis. Ergo &c. Maiorem tradunt Navarrus vterque, Valent, Henriquez, Auila 7. *Part. D. 6. Sect. 1. dub. 11. Conclus. 3.* Suarez *Tom. 5. in tertiam partem. D. 45. sect. 5. n. 8.* & alij, hanc maximè ratione moti, quod irregularitas, cum in pœnam delicti sit grauissima, culpam grauem supponere debeat, vt sic pœna culpæ proportionetur. Minor ex recens dictis patet, quod homici.

homicidium istud Wendelino nullo modo fuerit cognitum & volitum. Ergo non potuit inde esse peccaminosum. Probatur 3. Tunc non incurritur irregularitas ex homicidio etiam casuali, quando læsio non fuit lethalis. Atqui in proposito casu læsio non fuit lethalis, sed mors ex quavis alia causa contigit. Ergo &c. Maiorem docent Syluester, Caiet. Sotus, Lessius, Suarez, Caspar Hurtado *de irregul. diffic. 8. n. 31.* & communiter alij. Tum *ex cap. studeat. dist. 50.* Tum quod ad incurrendam irregularitatem occasio debeat esse proxima, ex qua mors sequatur. Minorem præter alios docet Steph. Auila *part. 7. D. 6. Sect. 1. tit. dub. 5. conclus. 3.* vbi ait, non esse censendum vulnus lethale, si vulneratus finito triduo post vulnus acceptum pedibus ambulauit. Quantô ergo minus in casu nostro læsio fuit lethalis, cum læsus post factam læsionem non tantum pedibus ambulare, sed scholas etiam frequentare potuerit?

*Ad 1. & 2. argumentum* in contrarium dicimus, in illis iuribus præsumi & supponi grauem culpam & negligentiam commissam, quam non agnoscimus in casu nostro, vt patet ex dictis. *Ad 3.* quoq; ex allatis iam constat, scilicet ad incurrendam irregularitatem nõ sufficere mediante læsione quomodocunque præbere occasionem mortis, sed præbere occasionem mortaliter peccaminosam, qua-

R s

lem

lem minimè dedit Wendelinus; hoc ipso quod nihil prorsus de morte alteri inferenda in mentem occurrerit, ut ipse sanctè affirmat: nec talis actio per se illicita & mortis causatiua sit.

**XCVI.** Wigbertus presbyter frequenter heret, num ieiunus sit ad celebrandum propterea, quod noctu plerumque, antequam in cubitum, aliquid saccari sumere, vel ori paulatim liquandū imponere soleat; & quidem subinde dubitat, an aliquid comederit, vel non comederit: subinde an comederit ante vel post medium noctis. *Quæritur. Vtrum stante hoc dubio celebrare possit?*

Videtur non posse: Ita Sanchez de Matr. l. 2. D. 4. n. 4. Facundez de præcepto 3. Eccles. l. 3. c. 5. n. 18. Palao Tom. 1. Tr. 1. D. 3. pun. 8. n. 9. & 10. Vbi plures refert, cui accedit Card. Lug. D. 15. de Euch. n. 42. saltem quoad dubium de tempore comestionis, non verò de ipsa comestione. Mouentur. Tum quia possessio est pro præcepto: nulla verò pro celebraturo. Tum quia vnusquisque probare debet fundamentum suæ exigentiæ, aliàs succumbet *L. ei qui dicit. ff. de probat.* At fundamentum exigentis celebrationem est ieiunium. Ergo, dum non probat hoc fundamentum, immeritò exigit celebrationem. Tum quia sic etiam dubius de peccato mortali posset communicare, non præmissâ confessione, quod est contra communem,

Resp.

Resp. Wigbertum celebrare in utroque dubio posse. Ita Layman, L. i. *Theolog. Moral. Tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.* Ioan. Sancius in *Selectis D. 42. n. 1. & 9.* Bardi de *Conscientia Discept. 6. c. 11. part. 3. §. 2.* Dicastillo Tom. i. de *Sacr. Tr. 4. à n. 284.* Dian. P. 3. Tr. 4. Res. 29. & P. 10. Tr. Res. 54. plures referens. Ratio fundamentalis est, quia in presenti casu ex parte celebraturi supponitur ius multò antè acquisitum celebrandi singulis diebus, quibus nō est impedimētū; quod ius hodie possidetur pro omnibus sequentibus diebus, duratque totā vitā. Hoc igitur iure possessio ut Wigbertus non possit uti, superueniat necesse est aliquod impedimentum certum, cum dubium nequaquam sufficiat. Atqui in nostro casu siue sit dubium de comestione, siue de hora comestionis, est impedimentum dubium: possessio verò iuris ad celebrandū præsupponitur certa. Ergo nō potest illi obstare impedimentum illud dubium. Confirmabitur hæc responsio ex solutione argumentorum in contrarium. Itaque

*Ad 1.* In contrarium negamus, nullam esse possessionem ex parte celebraturi antecedentem; quippe antecedit possessio libertatis propriæ, quam Wigbertus habet, antequam eum apprehendat, & obstringat præceptum; nam istud præceptum (loquendo de actuali obligatione) non prius obligat, quàm moraliter adsint omnia requisita, adeoque in proposito

R 1 2

come

comestio. Quare si quis existimet, aut saltem putet, se non comedisse, libertatem habet ex eo capite celebrandi, & non obligatur præcepto abstinendi. Ergo si deinde superveniat dubiū, iam istud reperit præviā libertatis possessionem ante præcepti obligationem, ut bene Dicastillo *n. 306. Ad 2.* Distinguiamus Maiorem; si probatio est de qualitate positiva, concedimus; si de negativa, nempe quod nō adsit impedimentum, negamus; talis enim venit solūm paratus ad sui defensionem, ita ut nemo tale in ipso impedimentum probare queat, tunc enim immeritō arcebitur ab executione sui iuris & potestatis. Adhæc esto totus discursus. Dicimus sufficere probationem negativam, scilicet post diligentem inquisitionem & examen non constare, nec probabiliter quidem de comestione, sed manere rem intra terminos puri dubij, ut Wigbertus tunc pro ieiuno gerere se possit. *Ad 3.* Negamus sequel. cū ex recepta consuetudine & communi sensu DD. peccata mortalia dubia teneamur sic sub dubio cōfiteri; quia vel Christus sic præcepit, sicut potuit præcepisse; vel Ecclesia sive lege sive consuetudine ita statuit, ut videre est apud AA. passim. Quid autem nos de hoc sentiamus, diximus Cent. I. cas. 38.

XCVII. *Wilibaldus Episcopus Eistadianus enuntiari curat in ciuitate Ingolstadiensi, collaturum se Sacramentū Confirmationis post octiduum*  
in

*in inferiore Parochia S. Mauritij, quo intellecto, accurrunt plurimi ex varijs locis aliarum etiam Diocesum absq; speciali licentia suorum Ordinariorum, quod ipsum minimè latet, quibus tamen omnibus predictum Confirmationis Sacramentum confert. Queritur. Vtrum licitè hoc faciat?*

Negant P. Dicastillo Tom. 1. de Sacram. Tr. 3. D. vnica. num. 128. Bonacin. de Sacram. D. 3. quest. vnic. pun. 2. num. 10. & alij. Tum quia mittit falcem in alienam messem, perinde ac Parochus infantem alienæ Parochiæ baptizans. Tum quia non habet iurisdictionem in extraneos respectu talis actus erga ipsos exercendi.

Resp. Wilibaldum licitè id fecisse. Ita August. Barbosa de Potestate Episc. P. 2. allegat. 30. n. 14. Adamus Tanner Tom. 3. D. 4. p. 4. dub. 3. n. 56. Ludouicus Caspensis Tom. 2. Tr. 27. D. 3. s. 3. n. 11. Sa. V. Confirmatio. n. 2. & plures alij, quos in diuersis locis suarum practicarum Resolut. citat & sequitur Diana. Ratio est, quia credendum, hoc esse ratum & gratum Episcopis, quod sufficit in præsentem; nam cum iurisdictione non sit de necessitate huius Sacramenti, vt docet Ochogauia apud Dianam P. 4. Tr. 4. Resol. 50. facilius præsumi potest rati habitio, quàm in Sacramento Pœnitentiæ, vbi requiritur iurisdictione de præsentem.

*Atque ex his patet ad argumenta in contrarium, quibus solùm addo, disparitatem esse*

Rr 3

inter



inter Episcopum confirmantem aliquem ex aliena Diœcesi; & Parochum baptizantem infantem ex alia Parochia, cùm huic Parocho aliquod etiam stipendium subtrahatur, atque ideo, sicut & ob plura alia incommoda, istius rati-habitio non tam facilè præsumi possit.

*XCVIII. Winualocus Capellanus ad S. Praxedem tenetur vi Foundationis quotidie in Sacello & Altari huius Sanctæ Praxedis celebrare, & tamen frequenter alibi celebrat: aut, quando in hoc loco propter exortum impedimentum non potest celebrare, omnino Sacrum illo die omittit. Queritur 1. An alibi celebrando, cùm hic posset, non tantùm peccet mortaliter, sed etiam teneatur ad compensationem? 2. An illo die, quo propter impedimentum in hoc loco celebrare nequit, similiter peccet, teneaturque ad compensationem, si Sacrum omittat?*

Videtur Winualocus in utroque casu peccare grauitè, tenerique ad compensationem. Ita Azor part. 2. instit. Moral. l. 6. c. 24. q. 7. & non pauci alij; imò plerique quoad alteram quæstionem casûs. Ratio est, quia in re graui non facit, quod ex obligatione faciendum, etiam tunc, quando celebrare non potest in loco designato, cùm melius sit, alibi Sacrum fieri, quàm nusquam, quod Fundator intendisse præsumitur. Ergo nõ tantùm peccatum, sed obligationem quoque compensationis contrahit

Resp.

Resp. 1. Si Winualocus absque iusta causa sæpius (nam bis vel ter in Anno exiguum habetur) alibi celebrat, peccare ipsum mortaliter. Ita communis DD. Ratio fuit iam indicata, quia non implet voluntatem Fūdatoris, nec præstat id, ad quod fuit assumptus, seque obligauit præstandum. Resp. 2. Eundem non teneri ad compensationem, si alibi celebret, etiamsi absque iusta causa id faciat. Ita cum alijs Barbosa *de Episc. Potest. P. 2. alleg. 24 n. 36.* & alij ab hoc relati. Ratio est, quia tunc non priuat Fundatorem fructu sacrificij. Adhæc ex compensatione alterius Sacri faciendi nullus specialis honor accrescit Fundatori, cum adstantes ignorent, Missam hanc à tali Fundatore prouenire: cultus autem Sacello & Altari S. Praxedis non exhibitus satis alio in loco compensatur. Resp. 3. Si Winualocus propter impedimentum in hoc loco v. g. violationis, inundationis &c. celebrare nequeat, nõ teneri ipsum alibi celebrare, saltem si Fundator solùm intenderit venerationem S. Praxedis, & talis loci, & non specialiter fructum sacrificij. Ita Barbosa *loc. cit. n. 35.* Ratio desumitur à pari; nam qui vouit ieiunare in Vigilia S. Praxedis, si eo die non possit, non tenetur alio die ieiunare. Ergo etiam, qui debet celebrare in Altari eiusdem Sanctæ, si nõ possit ibi celebrare, non tenetur alibi; nam licet melius sit alibi, quàm nullibi celebrare,

Rr 4

illa

illa tamē obligatio est affixa huic loco, adeo-  
que extra hunc non subsistit: nec illud me-  
lius Fundator intendisse præsumitur, si nõ ra-  
tionabile huius dubium ostenditur. *Atque ex  
his patet ad rationem in contrarium.*

XCIX. *Zambdas vir nobilis ac diues frequen-  
ter Iouinum amicum suum adhibet mensæ suæ, &  
haustu vsque ad ebrietatem vel periculum huius  
vrget: Subinde etiam adeo fit efferus, vt Iouinus  
vel repetitis equalibus haustibus cum ipso inebria-  
ri, vel periculum grauis percussionis aut duelli subi-  
re debeat? Queritur. 1. Vtrum Zambdas peccet  
mortaliter cum tali periculo vrgando ad potum?  
2. Vtrum Iouinus inebriare se possit, vt grauem  
percussionem, aut duellum euitet?*

Videtur, Zambdam non peccare mortaliter  
ita vrgando, quia ex bono id affectu, & iuxta  
morem patriæ facit: Iouinum verò grauitet  
delinquere se inebriando, vt malum aliquod  
euadat; *melius quippe erat, inquit S. Angusti-  
nus serm. 232. vt Caro tua sobria occideretur,  
quàm vt per ebrietatem anima moreretur.* Ad-  
hæc non sunt facienda mala, vt eueniant  
bona, quo argumento vtitur Azor Tom. 1. L.  
7. c. 33. q. 5. post Caiet. Et Wiggers c. 2. de Tem-  
per. dub. 5. inde apertè docet, inebriare se sci-  
enter sic intrinsecè esse malum, vt nec ex me-  
tu mortis licitum fiat.

Resp. 1. Zambdam peccare mortaliter  
vrgando conuiuam suum vsque ad periculum  
ebrieta-



cere alicui, amputare sibi membrum, manum, vel digitum ad conseruandam vitam, & tamen illa amputatio non est per se idoneum & ordinatum medium ad hanc conseruationem. Adhæc priuatio rationis hîc non intenditur, sed solùm permittitur, quam nemo tenetur cum tanto malo impedire; vnde etiam Iouinus non facit in hoc casu malum, vt eveniat bonum.

*Atque ex his patet ad rationes in contrarium; nam S. Augustinus loquitur solùm de ijs, quæ per accidens coniuncta esse solent, v. g. contemptus, aut odium virtutis &c. vt interpretatur Lessius.*

*C. Zoticus rem olim habens cum Verena nunc in vxorem ducere vult Verianam, de qua tamen dubitat, num in prohibito consanguinitatis gradu coniuncta sit Verenæ. Queritur. Vtrum Zoticus stante hoc dubio contrahere cum Veriana possit?*

Videtur non posse. Ita Palao Tr. 1. D. 3. pun. 8. n. 10; Layman l. 1. Tr. 1. c. 5. §. 3. n. 25. & alij. Mouentur. Tum quia fauendum Sacramento Matrimonij, ne inualidè administretur. Tum quia nemo habet ius se matrimonio iungendi, nisi probando, impedimentum non adesse. Tum quia iuxta receptum principium: contractus malâ fide inicitur, possessioque inchoatur ab eo, qui initio dubitat, num contrahendi, possessionemque capiendi ius habeat.

Resp.

Resp. Zoticum prædicto modo dubium, postquam adhibuit sufficientem veritatis indagacionem, posse bonâ fide contrahere, & reddere ac petere debitum. Ita Thomas Sanchez de Matr. l. 8. D. 6. n. 18. Ioan Sanchez D. 43. selectar. n. 44. Arriaga Tom. 1. in primam secundam. D. 25. n. 33. & alij. Ratio desumitur ex receptissima illa regula juris 65. in 6. quod melior sit conditio possidentis, & tali possessione dubitans priuari non debeat, quamdiu contrarium non probatur; nemo quippe absque certo iure spoliandus est possessione suâ. Confirmatur ex cap. laudabili. & cap. fin. de frigidis. vbi statuitur, dubium de potentia naturali ad actum conjugalem non teneri ad tutiorem partem, seu abstinentiam à Matrimonio; quia scilicet habet ius ad contrahendum, & in dubio stat pro ipso possessio. Ergo similiter Zoticus stante dubio potest contrahere, cum itidem habeat ius ad contrahendum, & possessio eidem faueat.

*Ad 1. in contrarium* negamus, aliquid fieri contra reuerentiam Sacramenti, quia in hoc casu Zoticus prudenter operatur. *Ad 2.* Dicimus, Zoticum habere ius ad contrahendum resultans in ipso ratione dubij & libertatis possessæ, ita vt probare amplius non teneatur, impedimentum non adesse. *Ad 3.* Distingui- mus, qui dubitat dubio practico, quando nulla est adhibita veritatis indagatio, nullumque

formatum prudens iudicium, concedimus:  
 secus negamus; in proposito autem Zoticus  
 sufficientem veritatis indagacionem adhibet,  
 postquam ratione possessionis ac libertatis  
 suæ iudicat, se stante hoc dubio posse contra-  
 here cum Veriana. Ergo bonâ fide init  
 contractum, ac Matrimonium  
 inchoat.

*Collegii Societat. F. et V. Paderbornæ*

**Omnia ad Maiorem Dei  
 Gloriam.**

1668.



IN.